CORNELII VALERII VLTRAIECTINI *IN VNIVERSAM BENE* DICENDI RATIONEM TABVLA, SVMMAM ARTIS RHETORICAE COMPLECTENS.

6-12-7

Recognita,& emendatiùs excusa.

Dd.5.52

¶LONDINI,
Excudebat Henricus Middletonus,
impensis G. B.
1580.

40902

NOBILITATE ET VIRTVTE PRÆSTANTI VIRO, MAXIMILIANO A BVRGANDIA, MARCHIONI VERIENSIVM, *Domino Beuerorum, &c. Maris Belgici præfecto, Hollandiæ, Zelandiæ, & Vltraiectinæ ditionis Gubernatori, Equiti summi ordinis velleris aurei,* CORNELIVS VALERIVS *ab Auduatra Vltraiectinus* S.D.

ANNI sunt decem & octo cùm Rhetoricen quosdam æquales familiaritate mihi coniunctos adolescens docerem, magis adeò cognoscendi studio percipiendiq; facilius eam artem, quam illi me profiteri volebant, quàm quòd mihi ipse multùm confiderem: ad quorum vtilitatem quædam benè dicendi præcepta maximè necessaria, paucis comprehensa paginis in tabula spectanda proposui. Ea tabula cùm iam exemplis multis descripta multorum subijsset oculos: præter illos familiares, alij quidam amici mecum egerunt, vt ederem. Quibus cùm id constanter negarem, vrgere illi me cœperunt, atque etiam minitari, mihi futurum, vt ab alijs id quod esset à me dictatum ederetur: cumq; editionem flagitare non desisterent, breui tandem respondi, mea voluntate nunquam in lucem esse prodituram tabulam, quam non ea diligentia conscripsissem, vt lectione dignam iudicarem. Atque ea quidem delituit in schedis hucusq; neglecta. Ecce autem cùm nuper Grammaticas Institutiones emisissem, in quibus fortè mentionem Rhetoricæ tabulæ nostræ feceram; quòd in ea rem indiligenter figuras omnes; & Grammaticas & rhetoricas proposuisse, easque perspicuo complexus ordine satis commodè digessisse mihi viderer: seriò quidam etiam eruditi postulare eam non dubitarunt, & huius æris alieni me identidem admonere. Quamobrem cœpi tandem cogitare de recognoscendo scripto; quod vt maiore fieret cum Studiosorum fructu, visum est ei tabulæ formam libri dare, & huic ἀνακεφαλαίωσιν addere, quæ summa totius artis capita breui quadam enumeratione comprehenderet, qualem nouem fere ab hinc annis dialecticis adiecimus. Verùm cùm illa mihi non nimis longa videretur, placuit eandem potiùs simul cum libello, paucis tantummodò mutatis, & quibusdam illinc in librum translatis edere. Eram autem id temporis in docendo secutus Aristotelem, Ciceronem, Quinctilianum, alioscq; veterum nonnullos, (quorum etiam verbis interdum, quàm meis, vti malui) & ex recentioribus vnum atque alterum; collegeram, quæ videbantur vtilissima. Quæ cùm nunc relego, non omninò displicent: & quia profutura iuuentuti quidam non contemnendi formandæ adolescentiæ artifices iudicant, eaq; postulant à me sæpè, vel flagitant potiùs: facilè patior hoc,

quicquid eſt, vtilitatis, quod præcipuè familiaribus comparatum erat, ad alios etiam peruenire. De libertate, qua interdum ſumus, vſi, præſertim in tropis & ſchematibus, fortaſſis admonendum eſt, me non vbique Veterum ordinem tenuiſſe: ſed interdum recentium quorundam induſtriam ſequi maluiſſe: nec eas exornationes excluſiſſe, quæ non tam ſchemata, quàm aut argumentandi, aut amplificandi formæ quædam haberi poſſint. quod cur fecerim, ſuo loco rationem attuli: & certè ſupereſſe aliquid non inutile, ſatiùs eſt, quàm deſiderari, quod neceſſarium ſtudioſis videri poſſit: & in hanc partem ſi peccaſſem, veniam facilùs, quàm ſi lectorem præceptis vtilibus fraudaſſem, impetraturum me putaui. Quem librum dum peruulgato iam, & Veteribus tamen etiam vſitato more, principi alicui viro dicare decreuiſſem, ſed cui dicarem? nondum ſtatuiſſem, eaque de re diutiùs cogitarem: commodùm venit mihi in mentem, primos ſtudiorum meorum fructus vndecim ab hinc annis oblatos fuiſſe præſtanti prudentia & eruditione viro principi, Domino Pratenſi Hollandiæ Præſidi, cuius nomine cùm tabulæ Dialecticæ primùm diuulgatæ ſint, nemini potiùs hęc Rhetoricæ præcepta dicanda videbantur, quàm ei, quem delegerat Cæſar illius Præſidis ſucceſſorem, in quem virtutes illæ conueniunt, quæ ſummo viro tribui ſolent. Quamobrem quoniam Differendi præcepta, quæ ad ſtudioſorum vtilitatem collegeram, Domino Pratenſi non diſplicuiſſe cognoui; ſpero hanc noſtram in artem Dicendi tabulam, tibi quoque Vir clariſſime & inter illuſtres Principes eminens, non ingratam fore, &, quæ tua humanitas eſt, benignè hoc quicquid eſt libelli ac libenter accepturum, noſq; in tuorum clientum numero habiturum eſſe confido. Vale. Louanij, Kalendis Septembris, Anno, à ſalute per Chriſtum reſtituta. 1556.

CORNELII VALERII VLTRAIECTINI *IN VNIVERSAM BENÈ DICENDI RATIONEM TABVLA, SVMMAM ARTIS RHETORICAE COMPLECTENS.*

HETORICA *est benè dicendi ratio, seu de quaque re proposita prudenter, ornatéque dicendi, scientia.*

Rhetorica nihil aliud est, quàm prudentia cum facultate dicendi coniuncta. Aristides pro Rhetorica in oratione Platonica prima.

Rhetor, *est, qui dicendi præcepta tradit.* Orator, est, *vt Cic. ait, qui de omnibus rebus possit aptè, scienter, ornatéq; dicere: qui & Græcè ab eloquendo ῥήτωρ, & Latinè eloquens dictus est: aliter atque nos modò rhetorem definiuimus. Nam & Rhetoricam interdum eam intelligimus, quæ benè dicendi rationem docet, interdum vim illam prudenter, explicatè, abundanter, illuminatè, & rebus & verbis, numeroseq; dicendi, id est, eloquentiam, quæ nihil aliud est, quàm copiose loquens sapientia.* Ea dicendi facultas, *sicut artes omnes, his adiumentis perficitur: natura, arte, & exercitatione.* Natura siue ingenium *ardenti studio incitatũ, ad dicendũ vim affert maximã, sine qua nihil ars & præcepta prosint.*

Rhetor. Orator. De omnib,) intellige eas q̃ possint ornari: vt de honestis & turpibus, iustis & iniustis, vtil. & inutil. &c Eloquens. Cicero in Orat. lib. 3. Rhetorica quot modis accipiatur.

Eloquentia comparatur natura, arte & exercitatione, causis efficientibus.

Imitatio eloquentium scriptorum.

sint. Necessaria *quoque est diligens exercitatio, vsusq; dicendi, & eorũ, qui in arte dicendi præter ceteros excelluerunt, imitatio; sine qua nemo vim illam oratoriam vnquam est consecutus.*

Cur arte sit opus, cum precepta non faciant eloquentem?

1.

2.

Artis præceptis *opus est, primùm ad iudicãdum non solùm de scriptis eloquentium virorũ; quos nobis proponimus imitandos; verùm etiam de nostris commentationib. deinde ad naturam iuuandam, quæ si non optima sit, corrigi tamen aliquantulùm potest: &, vt scribit Cicero, licèt ingenijs magnis præditi, quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior, quàm natura. Quod enim naturali tantùm fretus lumine facis, id arte multo melius ac certius efficies.* Oratoris officium est, *de quauis re proposita dicere ad persuadendum accommodatè. Quod efficitur docendo, delectando, & flectendo: quorum primum necessitatis est, alterum suauitatis, tertium victoriæ. Quæ faciliùs consequetur Orator, si vir bonus habeatur.*

Officium seu vis & facultas Oratoris.

Tria efficienda Oratori.

Docere debitum est, delectare honorarium, permouere oratori proprium.

Orator est vir bonus, dicendi peritus.

Finis persuadere id, ꝙ propositũ est. ad quẽ quidem finem vltimum benè dicendo peruenitur.

Finis est, *persuadere dictione, & auditorum animos flectere. Ex his enim tribus, quæ Oratori sunt efficienda, primum illi cum Dialecticis & Philosophis est commune, quod fit expositione perspicua & argumentatione, in subtili potissimùm. seu attenuato dicẽdi genere: alterum cum sophistis, quod fit, cùm alijs tum etiam elocutione, in mediocri ferè orationis forma: tertium proprium est, quod mouendis affectibus maximè efficitur, in vehementi, ac graui genere dicendi.*

De genere dicẽdi leges infrà sub capite, de Elocutione.

Animos mouendi facultas propria Oratorum est.

Instru-

Instrumentum rhetoricæ. Oratio Oratorũ. Sermo Philosophorum, colloquium.

Instrumentum *rhetoricæ artis oratio est illa copiosa & ornata, atque perpetua, quæ vel in senatu, vel ad iudicem, vel ad populum haberi solet. (Nam Philosophorum & Dialecticorum ferè concisa est oratio, mutuisq; interrogationibus interrupta; qualis est in disputationibus & dialogis sermo philosophorũ.) Orationẽ emendatam & Latinam Orator à Grammatica mutuatur, quæ purum sermonem docet: à Dialectica petit argumentorũ genera, & probandi rationes: ornatum verò, & dicendi copiam suo sibi iure sumit. Huius igitur est oratio verbis ornata, sententijs grauis, erudita, sensibus animorum, moribúsque hominum accommodata.*

Quid inter Grãmaticam, Dialecticam, & Rhetoricam interfit: & inter artes discerendi quanta sit cognatio.

Dialectica breuis & subtilis: Rhetorica copiosa & popularis.

Dialecticam & Rhetoricam *veteres ita coniunxerunt, vt Dialecticam pugno, Rhetoricam palmæ similem esse dicerent; quòd illa breuis, hæc copiosa atque ornata sit, & vtriusque artifici res omnes quæcunque in quæstionem possent incidere, quæ dictione essent explicandæ, tanquam materiam, in qua versetur, subijcerent; & communem quandam artium omnium tractationem tribuerent, breuem & subtilem Dialectico, Rhetori copiosam & popularem.*

Materia artium differendi quæstio. Cic. lib. 1. de Oratore.

Quæstionum duo genera, vnum infinitum, alterum finitum seu certum, quod ex personarum præcipuè notatione spectatur, a quarum complexu liberum est infinitum.

Quæstionum genera duo sunt, *vnum infinitũ, quod Græcè thesis appellatur, Latinè propositum, & consultatio: alterum Definitũ, quod hypothesis Græcè, Latinè caussa & controuersia dicitur.* Thesis *de genere vniuerso quærit, sine*

signatione personarum, temporum, locorum, & similium. Hypothesis *verò de rebus singulis, notata personis, tẽporibus, & locis. Thesis est: Sitne ducenda vxor? Hypothesis: Sitne philosopho, aut seni, hoc tempore, illo loco, illis moribus, peregrina, indotata, vetula, puella, Iulia Pompeio ducenda? Rectè Cicero præcipit, vt quæstionem finitam à proprijs personis ac temporibus auocemus ad infinitam, sine qua explicari illa non potest: velut si posita sit hæc finita: sitne iure Clodius interfectus? probari non potest, nisi constiterit insidiatorem omnem iure posse interfici.* Circumstantias *vocant, quibus fit quæstio finita. Qualia sunt; persona, factum, seu res, causa, tempus, locus, & modus, de quibus cõmodiore loco dicemus.* Infinita quæstio duplex est, *vel enim ad cognitionem pertinet, cuius finis est scientia: vt, Sitne terra globosa? Veráne sit vsquam amicitia? Vel ad actionem: vt, Sítne gubernanda Respublica? Quibus officijs amicitia colenda sit? Superioris genera sunt tria: An sit, quid sit, quale sit, & similia, quæ traduntur à Dialecticis in tractatione thematum simplicium & copulatorum: vt, Sintne Pygmæi? fuerintne semper mundus? idémne semper sit futur⁹? Quid sit, vt: Quid anima? Quale sit; vt, An cœlũ sit coloratum? Sít ne laudabile, sitne vtile philosophiæ operã dare? Alterius duo genera sunt. Vnum ad persequendum aliquid vel declinandum; vt, Quibus rebus amicos parare possis, adipisci gloriam, inuidiam vitare?*

In orat. & in Top. docet omnes controuersias ad vniuersi generis vim & naturam esse reuocandas.

Thesis duplex est, cognitionis & actionis. Illius genera sunt tria: vt, An sit, quid sit, quale sit: huius duo, vnum, quod ad persequendum declinandúmue pertinet: alterũ, quod ad commodum vsumque, vel in officijs præstandis, vel in affectibus regendis. Vide Ciceronis partit. ex quibus hæc petita sunt, & eius Top.

vitare? Alterum quod ad commodum vsumqué refertur; vt, Quemadmodum sit respublica administranda? aut quemadmodum in paupertate viuendum? Causarum seu finitarum quæstionum *genera sunt tria: demonstratiuum, deliberatiuum, & iudiciale.* Demonstratiuo *laudamus vel vituperamus personas, facta, res. Cuius finis est, vt plerique tradiderunt, honestum vel turpe. Propositam habet Orator in hoc genere delectationem.* Deliberatiuo *suademus, dissuademus, &c. Finis est, vtile vel inutile. Proposita sunt, spes, metus.*

Iudiciali *accusamus vel defendimus. Finis est, iustum vel iniustum. Propositam habet clementiam vel sæuitiam. Atque horum quidem generum vnumquodq; vel honestum, vel turpe, vel dubium, vel humile, vel obscurum est: quod quidem omnium primum est in exordiendi ratione spectandum. Oratione tractãtur omnia, quod* Oratoris instrumentum *appellauimus, quod alia quoque notione dicitur* opus Oratoris, *cuius partes numerantur interdum quatuor; Exordium, Narratio, Contentio, Peroratio: nonnũquam sex: Exordium, Narratio, Partitio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio. Nos easdem partes hoc ordine & his nominibus explicabimus, vt prima sit Exordium, altera Narratio, tertia Propositio: quæ, si non est simplex, appellatur Partitio; quarta Contentio, seu Argumentatio, quæ fit confirmando & refutando: quinta Peroratio.*

Hypothesis, seu causa.

Genera causarum.

Demonstratiuum.

Vide Quinctil. lib. 3 ca. 4. & 8.

Deliberatiuum.

Iudiciale.

Qualitates vel conditiones causarum sunt quinque.

Oratoris opus oratio.

Partes orationis.

Exordium.

Narratio.

Partitio.

Contentio.

Peroratio.

Exordium *præparat auditoris animum.* Narratio *rem gestam exponit.* Propositio *hinc summam causæ complectitur: cui additur Partitio, quæ membra orationis aperit.* Contentio *causæ disceptationem continet, confirmans nostra, &*
Cice. 1. de orat. *confutans contraria.* Peroratio *artificiosè finit orationem. Has partes natura monstrauit, & hunc ordinem seruari iubet, vt, antequam de re proposita dicamus, initio concilientur animi eorum, qui audiunt: deinde res demonstretur: postea controuersia constituatur: tum id quod intendimus confirmetur: post, quæ contrà dici possunt, refellantur: extrema autẽ oratione ea, quæ pro nobis faciunt, amplificentur & augeantur;*
Cic. 1. partit. *quæ pro aduersarijs, infirmentur. Prima igitur pars ad conciliandos animos, vltima ad commouendos, valet. Confirmatio & Confutatio ad docendum ac probandum pertinent, ad quam reliquæ viam muniunt. Ex his partibus plena & perfecta componitur oratio. Et quoniam oratio omnis ex verbis & rebus constat, in quibus omne versatur Oratoris officium, partes autem officij oratorij numerantur à Veteribus quinque, Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, & Actio, seu Pronũtiatio. Prima propriè in rebus dicitur, in verbis tertia: secunda quanuis vtrique sit communis, cùm & verba deligenda sint, & ordine vel recto vel verso collocanda, magis tamen ad primam refertur: reliquæ duæ sunt ferè naturæ dona, quæ magis exercitatione, quàm præcep-*

Partes officij oratorij, seu partes Rhetorices quinque.

tis

tis iuuantur. Inuentio, *est excogitatio rerum* Inuentio.
verarum, aut verisimilium, quæ probabilem
reddant orationem. Ea pars multarum artium
cognitione perficitur. Dispositio, *est re-* Dispositio.
rum inuentarum in ordinem distributio, quâ
prudenter suis quæque locis collocantur. Elo- Elocutio.
cutio, *est idoneorum verborum & sententiarum*
ad inuentionem accommodatio: seu apta
rerum explicatio atque exornatio. Memo- Memoria.
ria, *est firma rerum, verborumq; & ordinis per-*
ceptio, atque fida custodia. Actio, *est eorum quæ* Actio seu pronunciatio.
sunt inuenta, disposita, & ornata, cum dignitate,
& venustate pronuntiatio. His adiecerunt quidam, vt Fabius ait, sextam partem. Iudicium, Lib.iij.c. iij. Iudicium inuentioni quidam subijciebant, quòd non satis esse putarent, inuenire quid dicatur, nisi etiam expendatur & seligatur: sed hoc omnib. partib. adhibendum est. Ci. 1. de. ora.
quod inuentioni subiecerunt: sed mihi trib. primis partibus videtur esse permistum, à quo pronuntiationem quoque vel plurimùm mutuari putem. Atque ex his oratorij officij partibus, & ex materia subiecta definiri potest Orator, qui quæcunque res inciderit, quæ dictione sit explicanda prudenter, & compositè, & ornatè, & memoriter cum quadam etiam actionis dignitate possit dicere.

De Inuentione, prima officij Oratoris parte.

REPERIRE *primùm debet Orator, quod* Vide methodum simplicis thematis apud Dialecticos.
dicat, & rei, de qua dicturus est, naturam, vim,
partes, coniuncta, contraria, cognoscere. Cùm
autem

autem ei non tantùm efficiendum ſit, vt cauſæ faciat fidem, quod, cùm in alijs orationis partib. tum in contentione maximè (quo loco de re propoſita diſceptatur) fieri debet: verùm etiam, vt conciliet, & moueat, atque etiam delectet: plures ille, quàm Dialectici tradere conſueuerunt, locos adhibebit, quaſi notas, quarum admonitu materiam dicendi parabit, & quid in vnaquaq; orationis parte requiratur, intelliget. Dialectica docere contenta eſt, & fidem facere: Rhetorica verò præter docendi munus neceſſarium, inuenire etiam ſtudet, quemadmodum motum eorum animis, quibus perſuadere volet, adferat, eoſq; vel ad iram, aut odium, aut dolorem incitet: vel ab hiſce permotionibus ad lenitatem reuocet. Duæ autem orationis partes, vt diximus, prima & poſtrema ad motum ſeu animi incitationem valent, cetera fidem faciunt orationi.

Loci Rhetorici.

Cic. de inuent.

De Exordio, prima orationis parte.

Principium eſt apertum exordium. Benevolentia, atten. & docil. non principij magis propria ſunt, quàm reliquarum partium Cic. l. 3. de Orat.

EXORDIVM *eſt orationis initium, quo præparatur auditoris animus ad amicè, attentè, & intelligenter audiendum.* Exordiorum genera *ſunt duo: principium & inſinuatio.* Principium, *eſt, in quo ſtatim & apertè benevolentia, attentio, & docilitas parantur, quæ tres ſunt exordij partes initio quidem orationis adhibendæ, ſed in tota tamen cauſa diligenter ſeruandæ.* Inſinuatio, *eſt, in qua callidè & latenter eadem,*

Inſinuatio callida & occultior exordiendi ratio eſt, quæ quadam diſſimulatione & circuitione obſcurè ſubeat auditoris animum.

quæ

quæ in principio, efficiuntur. Sed, vt intelligatur quando sint beneuoli, attenti, vel dociles auditores efficiendi: qualitas & natura causæ primùm spectanda est. Nam in singulis superiorum generum causis alia quinque sunt obseruanda genera: honestum, turpe, dubium, humile, & obscurũ.

Tres exordiorum partes.

Qualitas causæ primùm spectanda.

Honestum *causæ genus est, cùm id laudamus, suademus, defendimus, aut vituperamus, dissuademus, oppugnamus, quod omnibus ita faciendum videtur: vt, cùm bonos laudamus, pacem suademus, &c.*

Honestum causæ genus.

Turpe, *cùm aut honesta res oppugnatur, aut turpis defenditur, &c. quod interdum exercitationis causa fieri solet. Huc* admirabile *quoque seu* paradoxon *refertur.*

Turpe.

Dubium est, *cùm habet in se causa & honestatis & turpitudinis partem; veluti si quis pro patre latrone dicat.*

Dubium.

Humile, *cùm res vilis & contempta adfertur.*

Humile.

Obscurum, *cùm inuoluta & obscura causa est. Honesto statim auditoris animus fauet, nec admodum conciliationem requirit, nisi cùm vel defessus est alios audiẽdo, vel ab aduersarijs persuasus videtur. Tũ enim aliquo dicto aut fabula renouabimus animũ, & spe breuitatis excitabimus: aut persuaso pollicebimur, nos aduersariorũ argumenta confutaturos. Si turpe genus est, vtemur insinuatione, quâ rei turpitudo principio orationis excusetur. Idẽ faciendũ, si paradoxon est, seu*

Obscurum.

Quando vtendum insinuatione.

seu admirabile. Si dubium est, reddemus benevolos: eamq; partem, quæ turpitudinem habet, ante omnia diluemus. Si humile, faciemus attentos: Si obscurum, dociles. Exordiorum loci, *ex quibus tanquam notis & indicibus, causa & materia dicendi sumitur, sunt, personæ, res: & adiuncta personis & rebus.* Beneuolentia *conciliat auditoris animum, quæ captatur vel à personis, vel à rebus, vel ab ijs, quæ sunt illis adiuncta. Et à persona vel nostra & clientis nostri, vel aduersariorum, vel auditorum.* A persona nostra; *si nostrum officium sine arrogantia cõmemoremus: vel si cognationis, amicitiæ, publicæ vtilitatis, aliáue quapiam honesta causa vel necessitate, nullo odio aut maleuolentia, aut ambitione, aut quæstu nos ad dicendum inductos esse dicamus: vel si nostrum ingenium & dicendi facultatem extenuemus, & impares ingenijs aduersariorum dicamus, vt magis causæ bonitate & æquitate ac beneuolẽtia auditorum, quàm nostra eloquentia freti fuisse videamur. Aduersus nos dicturus ijsdem ex locis negabit nos honesta causa inductos esse, &c.* A Rei persona *beneuolentiam captamus his ferè locis: primùm ab eius probitate, veluti cùm virum bonum & liberalem esse dicimus: deinde ab eius calamitate & infirmitate, vel animi, vel ætatis, vel conditionis; veluti si propter inopiam amicorum sit oppressus, si senex, si pauper, pupillus, mut⁹, cæcus; valetudinarius; si fœmina, vidua, &c.* A per-

Exordiorum loci.

Beneuolentia.

Personæ quatuor sunt, Patroni, Rei, accusatoris, & Auditorum. A nostra persona.

A persona Rei.

sona aduersarij nostri, *si eum vel in odium adducamus, vt si superbiam, crudelitatem, perfidiam, malitiam accusemus: vel in inuidiam; vt si nimiam potentiam, opes & copias amicorum, nobilitatem & factionem proferamus: vel in contemptionem; si inertiam, negligentiam, luxuriam, & ignauiam aperiamus. Interdum & patronus aduersarij dabit exordium, si eius eloquentiam ac gratiam iudici suspectam fecerimus.* A Iudicis, vel Auditorum persona, *si nos eorum vtilitati & existimationi atque auctoritati studere doceamus, eosq; citra adulationem laudemus. In lite, iudicis laudem ad causæ nostræ vtilitatem accommodabimus, vt Cicero fecit, qui veniam M. Marcello, & Q. Ligario, exuli, à Cæsare petens, non æquitatem, non eruditionem, aliásue naturæ ac fortunæ dotes, sed solam Cæsaris misericordiam summis laudibus extulit.* A rebus *beneuolentia captatur, si causam nostram laudando extollamus, & aduersariorum per contemptum deprimamus, si rem auditoribus vtilem fore affirmemus. Hoc modo attentos quoque faciemus. Attentio auditorem excitat: docilitas erudit. Vtraque sumitur ab ipsa ferè causa.* Attentionem parabimus, *si aut de magnis, aut præclaris rebus, de inusitatis, incredibilibus, grauibus, atrocibus, aut de necessarijs, aut de vtilibus, & ad eos, qui audiunt, pertinentibus, nos dicturos esse pollicebimur. Sæpè etiam comparatur attentio, si rogabimus, vt attentè audiant: quod*

A persona aduersarij nostri.

A iudicis vel auditorum persona.

A rebus.

Attentio.

Docilitas summam rei complectitur, & quē secuturi simus ordinem sæpe ostendit.

quod Cicero frequenter facit, & comicis prologis vsitatissimum est. Docilitatem *parabimus, si breuiter & dilucidè summam rei, de qua dicturi sumus, exponamus, præsertim si difficilis esse videbitur, aut si quod officere causæ nostræ putabimus, id ante omnia remoueamus. Vtraque pars & attentio & docilitas, propositione sæpè & partitione parantur.*

Ab adiunctis personæ & causæ.

Idcirco autem sic interdum licet exordiri, ne oratio meditata esset videatur. Quinct. l. 4.

Tres exordiorum *esse locos antè diximus: primum à personis, alterum à rebus, tertium ab adiunctis personæ & causæ. Non enim semper à duobus illis, sed ab his etiam sæpè ducuntur exordia; veluti à propinquitate, amicitia, tempore, loco, opinione, fama iudiciorum, expectatione vulgi. Interdum & à dubitatione, admiratione, voto, atque etiam ab inuocatione, quæ solennis erat priscis oratoribus exordiendi ratio, quam nunc Christianis concionatoribus esse maximè solēnem oportet. Licebit & aliundè exordia ducere; velut ab aliqua sententia, ab historia, ab inopinato, & similibus.*

Nihil à Christianis concionatoribus nisi inuocato numine gerendum est.

De affectibus. Arist. lib. 2. Rhetor. ad Theodectem, & Quinct. li. 6. cap. 2.

Ad conciliandos animos *plurimùm valent affectus, qui sunt quædam animi commotiones, quibus mentes humanæ concitantur, vel ad cōmiserationem, amorem, fauorem; vel ad iram, odium, contemptum, similesq; perturbationes. Honesta merentur amorem, contraria odium. Misericordiam mouet calamitas, seu fortuna indigna virtute, genere, ætate. Sumuntur enim affectus maximè ab attributionibus, quæ vulgò circum-*

circumstantiæ dicuntur; ætate, fortuna, loco, causa, modo, & reliquis. Affectus alij sunt leniores *seu mitiores, ad naturam & mores atque ad omnem vitæ consuetudinem accommodati, blandiùs in animos audientium illabentes, qui dicuntur* ἤθη. *vt, amor parentum, caritas fratrum, propinquorum, &c. quale illud Virgilij: Omnis in Ascanio cari stat cura parentis: vt fides coniugum & amicorum: vt verecundia, moderata lætitia, & formido.* Alij vehementiores *& concitatiores, quibus animi perturbantur, quæ* πάθη *vocantur: vt, impotentes motus amantium, iratorum, sæuientium, dolentium, desperantium, &c. quæ verbis atrocibus efferuntur. Idem de Mezentio: Mortua quinetiam iungebat corpora viuis. Et: Infelix puer, atque impar congressus Achilli. Et: En quid ago, rursúsne procos irrisa priores Experiar? Superiores in comœdijs exhibentur, posteriores in tragœdijs. Affectus vt recte moueas, vt verba & vultus animusq; consentiant, ipse moueare priùs oportet. Affectibus autem in exordio ferè mitioribus illis ad beneuolentiam conciliandam paratis vtimur, interdum etiam vehementioribus, sed ijs paulatim crescentibus: quibus commodiùs, cùm opus est, vtemur in peroratione; nonnunquam etiam in contentione, vel confirmando vel refutando.* Quid in exordijs obseruandum. *Primùm diligens earum qualitatum quas vocant* circumstantias, *habenda ratio est: quarum* aliæ personarum

De animorum perturbationibus Cic. copiosè libro. 4. Tusc.

Affectus duplex, ex animi vi duplici existens, ira & cupiditate Cic. in Orat.

Horatius in arte poëtica.

Circumstantiæ in exordio obseruandæ.

Personis attributa sunt animi, corporis, & fortunæ bona: rebus verò locus, tempus, causæ, modus.

Quinct. lib. 4. cap. 1.

sonarum *sunt; vt natio, patria, sexus, ætas, educatio, fortuna, studium, &c.* Aliæ rerum; *vt causa, locus, occasio, instrumentum, tempus, modus.* Videndum est hîc, *quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua vulgi fama, dicendum sit.* Cauẽdum autem, *ne longius sumatur exordium: ne vulgare sit, & quod ad plures causas possit accommodari: ne commune & tibi & aduersario: ne cõmutabile, quod paucis commutatis verbis ab aduersario possit vsurpari: ne apparatũ & splẽdidũ nimis: ne præceptis contrariũ, veluti si docilitas paretur, cùm opus est beneuolentia, vel attentione, aut sine nec benenuoli, nec attenti, nec dociles efficiantur auditores: ne separatum & à causa sit alienum: ne verbis insolentibus, audaciùs translatis, ab obsoleta vetustate, aut poëtica licentia sumptis, notetur.* Optima sunt exordia, *quæ ex ipsa causa velut innata videantur: pro qua modus principij constituendus est, aut breuioris aut longioris. Commendantur etiam imprimis verecunda & modesta: reprehenduntur tumida & grandia.*

Quæ vitia in exordio cauenda.
1. Non sit nimis longum.
2. non vulgare.
3. non Communume.
4. non Commutabile.
5. non tumidum.
6. non præceptis contrarium.

Quæ commendentur exordia.

De Narratione.

Narratio, est historica facti commemoratio, seu vera, seu verisimilis.

Narratio est quædam quasi sedes ac fundamentum constituendæ fidei.

NARRATIO *est rerum gestarum, aut vt gestarum vtilis ad persuadendum id quod intenderis, commemoratio: quæ causa rebusq; ad causam pertinentibus alte repetitis, & passim, velut seminibus argumentorum sparsis, firmamentum*

ac

ac robur totius confirmationis futuræ continet: nec aliud esse confirmatio videtur, quàm narrationi congruens quædam probatio; nec aliud narratio, quàm continua probationis propositio, totiusq; causæ comprehensio. Narrationum *tria fecerunt genera: quorum Vnum est, quod modò posui, continens vtilem quæstionis expositionem, cui soli secundus in oratione locus datus est.* Alterum, digressio *dicitur, quæ extra causam assumitur, estq; excursio quædam fauorabilis in loco aliquo plausibili paululum commorans, quæ fit exornationis, laudationis, criminationis, transitionis, aliáue causa; dummodo ne sit à re, qua de agitur, aliena. Sed hæc in quæstionis disceptatione atque explicatione tantùm adhiberi potest, non etiam veræ narrationis loco.* Tertium genus *à ciuilibus causis remotum est, in quo vel fabulæ; vt tragœdiarum: vel historiæ; vt rerum gestarum: vel argumenta; vt comœdiarum, tractantur. Sæpè tamen vtiliter personarum descriptiones adhibentur, moresq; hominum, ingenium, & vita, vel cum laude, vel cum vituperatione commemorantur. Inseruntur nonnunquam & locorum & temporũ descriptiones, quæ sunt Poëtis & Historicis vsitatiores.* Laudatur narratio, *quæ breuis, quæ dilucida, quæ verisimilis, & quæ non iniucunda sit: vituperatur contraria. Breuis & iucunda libentùs auditur: perspicua facilùs intelligitur: verisimilis citiùs probatur. Solet ferè narrationis initio præparatio quædam*

Cic. in part. Quinct. l. 4. cap. 2.

Tria narrationũ genera.

παρέκβασις egressus vel egressio, est alienæ rei, sed ad vtilitatem causæ pertinentis extra ordinẽ procurrens tractatio.

Quinctil. li. 5. cap. 3.

Vbi sit digressioni locus.

Virtutes & vitia narrationis, quæ non hic solùm, sed in tota etiam oratione seruari conuenit. Cic. li. 2. de Orator. & in Topic.

dam adhiberi, & fini tanquam peroratio atque ad contentionem transitio, quod ipsum in reliquis etiam partibus obseruandum est: vt aptè inter se omnes atque eleganter cohæreant.

Quæ narratio breuis?

Breuis est, in qua nihil redundat.

Breuis erit narratio: *si rem non altiùs, quàm vnde erit necesse, repetamus, ibiq; desinamus, vbi opus erit: si nihil extra causam dicatur: si summatim, non particulatim narremus. Sed modus retinendus est, ne vel breuitas rem ipsam obscuret, vel*

Quæ dilucida?

plus dicatur, quàm oportet. Dilucida erit, siue perspicua & plana: *si verbis proprijs & vsitatis, si temporum ordine conseruato, si nihil contortè, nihil perturbatè, nihil ambiguè, dicatur.*

Quæ verisimilis

Verisimilis, seu probabilis erit & morata: *si personis, temporibus, & locis consentanea sit: si naturæ, legi, moribus congruentia, si ad vulgi rumorem, & ad eorum, qui audiunt, opinionem accommodata narrentur: si consiliorum rationes constent: si facti cuiusque causæ proferantur.*

Quæ iucunda.

Iucūda erit, *si noua, inexpectata, magna, grauia, contineat. Non vtendum est narratione, nisi cùm prodest: quod ad prudentiam dicentis pertinet;*

Quando vtendum sit aut non sit narratione, id est consilij. Cic. l. 2. de Oratore.

ne, cùm vel obsit, vel nihil prosit, adhibeatur: narrandumq; eo modo & ordine, quo expedit; tum etiam, quantum opus est, & quantum satis.

Quando narrationi digressio subijciatur.

Narrationem interdum excipit διέξοδος, *seu* παρέκβασις: *videlicet, cùm res narrata maximam in se continet atrocitatem, vel cùm vtilis esse potest ante quæstionem præparatio: sed quia non est necessaria, cauendum est ne quôquam nisi prudenter*

denter & vtiliter digrediamur; & digressi, vt commodè redeamus, videndum.

De Propositione & partitione.

PROPOSITIO *est, qua breuiter status & summa totius causæ comprehenditur. Hoc omnis confirmationis caput est, quod omitti nunquam potest. Si propositio simplex non est, subijcitur* partitio, *quæ breuis est partium Propositionis enumeratio.* Ea duplex est: *vna, quæ tantùm in Genere iudiciali adhibetur, per quam aperimus, quid cum aduersarijs conueniat, & quid in controuersia relinquatur, hoc modo: Clytemnestram, quæ patrem huius occiderat, ab Oreste interfectam confitemur: sed; an filio mortem patris vlciſci matris cæde licuerit, id in controuersia est. Altera est, quâ in omnibus causarum generibus vti licebit, per quam explicamus, quot & quibus de rebus simus dicturi, & quem secuturi in dicendo ordinem ostendimus: vt quid, quaque de re, quóue loco dicendum sit, appareat: quæ res vel maximè docilem facit auditorem, dum quid ordinè, quamq; earum quæ propositæ sunt partium sequatur, præcognoscet, auidè semper expectans: maximeq; eadem memoriæ lumen adfert, vtilis & necessaria non Oratori solùm, sed cuiuis etiam quacunque de re disserenti.* Sed hîc videndum est, *ne sit obscura partitio, ne longa nimium, ac multiplex, ne permixta*

Quid propositio.

Partitionis genera duo; vnum, quod statum & caput causæ ostendit; alterum, quod partes & ordinem.

Vitia partitionis Quinctil. l. 4. cap. vlt.

Virtutes partitionis.

mixta genera partibus implicentur. Tribus enim virtutibus ea maximè commendatur: breuitate, absolutione, & paucitate, ne pluribus ferè quàm tribus aut interdum quatuor membris comprehenditur. Continet docilitas *quoq; distributionem quandam orationis: vt si de legibus dicturus, primùm dignitatem te commemoraturum promittas: deinde necessarium rebus humanis vsum: tum breui narratione exponas, qui sint hoc tempore mores hominum, ex qua nō frustrà hoc orādi munus suscepisse videaris: mox adhibeas partitionem ipsius rei propositæ, & distribuas legem, in ius sc iptum, & non scriptum, ac scriptum Romanorū tibi placere dicas, quòd eo nihil æquius vsquàm, nihil vtilius proditum litteris extare videatur. Atq; his de partitione præceptis hoc adijciēdum est, vt quo prima quæque pars ordine in partitione proposita est, eo transigatur.*

De Contentione seu probatione causæ.

Contentio seu argumentatio complectitur confirmationē & confutationē. In confirmando, nostra probare volumus: in reprehendēdo redarguere cōtraria. Cic. in Part.

QVARTAM *orationis partem eamq; præcipuam, cuius causa illæ superiores traditæ sunt, constituimus Contentionem seu probationem, quæ totius quæstionis disputationem continet.* Ea constat *confirmatione & confutatione seu reprehensione, quarum illa ad probandum, hæc ad refellendum valet; illa argumentando causa facit fidem, hæc aduersariorum argumenta, qui*

vel

vel obiecta sunt, vel obiici possunt, dissoluit, eodemq; vtitur inuentionis fonte, quo confirmatio. Probatur autem causa argumentis: ea ducũtur ex locis. Loci autem Dialecticorum sunt, à quibus illa mutuatur Orator, cùm docet. Verùm, cùm huic efficiendum sit, non solùm vt doceat, quod proprium est Dialecticorum, verùm etiam vt delectet, & permoueat, illustrior est Oratorũ ornatior q; confirmatio, quàm ieiuna illa Dialecticorum argumentatio; cui tamen Rhetores omne orationis robur acceptum ferunt, si quid argumentis aut probare velint, aut reprehendere. Hinc illa profecta sunt de argumentatione Rhetorum præcepta, qui tradiderunt, breuissimam ratiocinationem tribus constare partibus, quæ Dialecticorũ propria est, longissimã quinq;, mediocrem quatuor. Quinq; partes *numerant hoc ordine:* propositionem, *id quod ad probandum assumitur: mox* rationem, *qua probatur id, quod propositum est: tum* confirmationem *rationis, seu comprobationem: deinde* exornationẽ, *quæ locupletandæ rei gratia adhibetur: postremò* complexionem, *quæ breuiter, collectis argumentationis partibus, propositionem concludit. Exẽpli causa, propositio sit: Optima primùm sunt discenda. Ratio: quoniam prima ætas vt docilior est, ita & tenaciùs, quæ percepit, retinet. Confirmatio: quia vacuum adhuc est ingenium curis, nec dum vitijs occupatum. Exornatio: quemadmodum enim vacuæ tabulæ facilius quiduis*

Quid efficiendũ Oratori.

De syllogismo seu ratiocinatione, eiusq; partibus, ex sententia auctoris Rhetoricorum ad Heren.

inſcribitur, mollique cerâ imprimitur; & quæ ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu: ſic tener animus & facilius optima percipit, & fideliùs retinet, &c. Complexio: Optima igitur primùm ac ſtatim ſunt diſcenda. Quinque partitæ ratiocinationis in Dialecticis nos etiam meminimus, & eius partes ita numerauimus ex ſententia Ciceronis, libro 1. de Inuentione; vt exornationis loco poſuerimus aſſumptionem: quo loco illud quoque admonuimus, quod hîc repetẽdum eſt; non teneri ſemper illum ab arte præſcriptum ordinem, ſed perſæpè mutari, nec ſemper quinq; partes requiri, ſed ex paucioribus cõſtare poſſe, ipſumq; argumentationis initium plerumq; ab aſſumptione duci, interdum etiam à probatione, nonnunquam ita concludi, vt in vnum conducatur & propoſitio & aſſumptio. Duplex eſt, locorum tractatio, Vna generalis & communis, quæ ad nullum cauſæ genus reſpicit, quæ propria Dialecticorum eſt. Altera ſpecialis, qua loci quidam ad vnumquodque genus à Rhetoribus accommodantur. Sunt enim certa quædam in ſingulis cauſarum generibus præcepta confirmationis tradita, velut in Demonſtrationibus tria bonorum genera, &c. in Deliberationibus, honeſtum, vtile, &c. in Iudicijs, ad coniecturam confirmandam voluntas, facultas, &c. in definitiuo ſtatu loci definiendi: in qualitate partes inris &c. ex quibus refutandi quoque ratio petenda eſt.

Quinque partitę ratiocinationis partes ex ſententia Ciceronis ita conſtituuntur, vt prima ſit propoſitio, cui mox adiungatur ratio, deinde aſſumptio, & huic addita ratio, poſtrema complexio ſeu concluſio.

De duplici locorum tractatione.

Quibus

Quibus autem modis *aduersarij Confirmatio aut diluatur, aut infirmetur, aut eleuetur, Cicero in Rhetoricis docet his ferè verbis:* Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex his, quæ sumpta sunt, non conceditur aliquid vnum pluráue, aut his concessis complexio ex his confici negatur, aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur: *(veluti cùm docemus falsa esse pro veris assumpta)* aut si contra firmam argumentationem alia æqué firma aut firmior, ponitur. *Hæc ab illo pluribus explicãtur lib. j. de Inuent. & à Cornificio, lib. iy. Rhetor. ad Heren. & à Quinctil. li. v. cap. xiij. Vtimur alijs etiam modis: Eleuatione, cùm aduersarij argumenta ridemus: Excusatione, vt si ætas, imprudentia, sexus afferatur: Deprecatione: Mutua criminatione: Inuersione signi contra nos allati, & huius interpretatione: Conquestione: Digressione: & cæteris.*

Confutatio. Lib. 1. de inuent.

De Peroratione.

PERORATIO *est extrema pars orationis, seu artificiosus orationis exitus; qui constat ferè vel enumeratione, vel affectibus.* Enumeratio, *est breuis potissimorum argumẽtorum repetitio, qua redeat in memoriam auditor, quid per totam orationem dictum sit, totamq; summatim causam denuò cognoscat. In hac obseruandum est, vt summa quæque repetamus, & non partes partium retexamus.* Affectibus vtemur *hoc*

Perorationis partes duæ. Enumeratio, quæ ad memoriam spectat: & Affectus, qui ad animi commotionem.

loco vehementioribus illis, ad impellendos auditorum animos, quibus moueantur vel ad amorẽ, in laudibus & exhortationibus: vel ad odium & indignationem, in vituperationibus, dehortationibus, & accusationibus: vel ad misericordiam in defensionibus. Miseratio ad mouendam Iudicum mentem reo necessaria est; Indignatio accusatori. Has partes Cicero perorationi subiecit, enumerationem, indignationem, & conquestionem: sed in partitionibus duas, enumerationem, & amplificationem, quâ concitantur affectus, indignatio & conquestio. Cornificius enumerationem, commiserationem, & amplificationem, qua vehementer aliquid vel exaggeratur vel extenuatur, quæ per locum communem sumitur instigationis auditorum causa. Seruandum hoc in epilogis præcipitur, vt breues sint, ne vel inflammatus Iudex refrigescat, vel miseratione motus, aliô se animo & cogitatione conuertat; tum vt acres sint, & quasi aculeis quibusdam animos pungant.

Lib. 1. de Inuentione.

Ad Heren. libro. 2.

Amplificatio.

De generibus causarum.

Pag. 10. & 11.

TRIA *causarum genera, Demonstrationem, Deliberationẽ, & Iudicium, suprà definiuimus; ad quæ referri potest, quicquid oratione suscipitur explicandum.* Primi generis sunt, *laudatio vel vituperatio personarum, factorum, & rerũ: præterea gratiarum actio, expositio historica, cuius & vtilis inprimis & iucunda lectio est, gratulatio,*

Quæ contineantur genere demonstratiuo. Historia quæ Rhetoricæ pars habetur, est copiosè, ornatéq; sed vere narrandi facultas.

tulatio, lamentatio, commemoratio beneficiorũ, &c. Additum est huic didascalicum seu didacticum *genus, ab ijs, qui latiùs hoc causæ genus patêre volunt, vt non tantùm finitam complectatur quæstionem, sed ad infinitam etiam extendatur, & ad quamcunque rem propositam, de qua disseri via & ratione possit. Hoc genere continẽtur theses seu loci communes, & simplices &, copulati, quorum tractationem Orator à dialectica methodo accipit. Eam rationem Cicero in lib. de Officijs secutus est. Et quoniã singulorũ generũ fines, indicauimus, statuatur & huius generis, finis, cognitio. Nominatum est genus demonstratiuum ex eo, quod quale sit aliquid, demonstret, vel laudando, vel vituperando, vel narrãdo, vel docendo.* Alterum causæ genus continet *suasionem, dissuasionem, exhortationem, dehortationem, petitionem, conciliationem, consolationem, commendationem, &c.* Tertio generi subijciuntur *accusatio, defensio, expostulatio, exprobratio, comminatio, purgatio, deprecatio, aliaq; similia. In iudicia & deliberationes interdum demonstratio incidit ; vt in Orationes Ciceronis pro Cœlio, pro Archia, pro Pompeio. Item in Pisonem, Oppianicum, Catilinam, Græcorum vanitatẽ. Ac vix vlla Ciceronis atq; aliorũ etiam Oratorũ oratio reperietur, in qua nõ tria illa causarũ genera, aliqua ex parte liceat inuenire. Et tamẽ vnaquæq; oratio suo generi tribui possit, vt ea quæ pro lege Manilia dicta est, quæ pro lege agraria,*

Plato in Sophista. teste Quinct. l. 3. cap. 4.

Quæ referantur ad deliberat.

Quæ ad iudicia.

Demonstratio in alia genera incidit.

agraria, aliæq; similes ad populum, vel ad Senatum, deliberatiuo: ea verò quæ pro Milone, quæ contra Verrem, atque aliæ ad iudices Orationes, iudiciali sint attributæ.

De Demonstratione personarum.

Lib. 2. de Orat. Honesta laudantur: contraria vituperantur.

DEMONSTRATIONIS *finem esse diximus honestatem. Cicero in hoc genere ad personarum dignitatem omnia referri scribit; quo continetur laudatio vel vituperatio* personarum; *vt, Augusti, Helenæ, Neronis:* Factorum, *vt Scæuolæ, Coclitis, Lucretiæ:* Rerum, *vt eloquentiæ, agriculturæ, pacis, belli, &c. Huc referuntur descriptiones animantium, monstrorũ, regionum, vrbium, arcium, domorum, locorum, temporum, tempestatum, conuiuiorum, comparum, fluuiorum, fontium, plantarum.* In demonstratione personarum *exordia liberiora sunt, quàm in deliberatiuo & iudiciali. Nam in his natura causarum diligenter inspecta facilè suppeditabit exordium. In hoc genere exordia beneuolos, attentos, & dociles faciunt, ac sæpè ab aliquo ducuntur affectu, velut à querela, à gratulatione, similibusq;, à studio, & officio. Nulla ferè narratio est, quæ si inciderit, breuis erit. Propositio & partitio ostendunt, quibus, & quot de rebus, & quo ordine simus dicturi.* Loci confirmationis *in hoc genere magis ad ornandum &*

Genus demonstratiuum personarum.

amplifi-

amplificandum, quàm ad probandum adhibentur; qui perpetua quadam narratione continentur; quæ constat virtutum & bonorum, quæ ad imitationem & admirationem proponuntur, amplificatione, vitiorumq; & malorum, quæ fugienda sunt, vehementi vituperatione. Suntque hi, *patria, parentes, bona animi, corporis & fortunæ, vt ingenium & indoles, forma, opes, educatio, adolescentia, iuuentus, senectus, res gestæ, mors, & quæ mortem sunt consecuta.* Ac primùm *quidem personæ laudari solent ab ijs, quæ vitam anteceſſerunt; veluti à natione, patria, parentibus, maioribus, quorum & nobilitati respondisse, & ignobilitatem illustrasse pulchrum est; dedecori fuisse, turpe. Hoc loco res præclaræ à maioribus gestæ proferantur.* A prodigijs *& miraculis, si qua natalem anteceſſerint.* Deinde ab ijs, *quæ in vita euenerunt, velut à nomine, à bonis animi, corporis & fortunæ; vt ingenio, indole, forma, opibus.* Ab educatione, *in qua spectatur ingenium puerile, & indoles, docilitas, institutio, atque cura parentum & præceptorum. Bene honestéque educatum esse, laudabile est.*

Loci Confirmations in hoc genere.

In adolescentia *spectantur mores, & laudatur studium virtutis & sapientiæ. Hîc dicendum est, quo modo vitam egerit, apud quos, quibus vsus præceptoribus, quibus æqualibus, quibus studijs, quibus artibus delectatus.* In iuuentute *commemorantur, vitæ genus, conditio, fortunæ bona: laudantur facta præclarè, prudenter, iustè, fortiter,*

Bonum dicitur, quod vt profuturũ expetimus: malum, quod vt nociturum fugimus.

Optanda corporis & fortunæ bona, sed animi laudanda.

Laus virtuti debetur, sine qua nihil laudari potest.

Vera 2. de Orat. Vide Cic. Partit. de distributione virtutum & bonorum, sed absolutiorem bonorum & virtutum ac viciorum cognitionem ex Arist. Ethic. & Cice. libris de Officiis. accipies, quæ laudanti & vituperanti necessaria est.

fortiter, moderatè, idq; tum publicè, tum priuatim. In senectute, *consilium & pietas.*

In morte, *constantia & fiducia. Ex tribus bonorum generibus; vt animi ac morum, vt corporis, vt fortunæ, à quibus laudes personarum petuntur, sola animi bona veram merentur laudem; vt indoles & bonitas naturæ, docilitas, celeritas ingenij, memoria, eruditio, probitas, integritas, pietas, humanitas, benignitas, moderatio, prudentia, & cæteræ virtutes. In quibus explicandis sequemur aut ætatis, aut rerum gestarum ordinem, qui maximè probatur; vt quid puer gesserit, quid adolescens, quid iuuenis, quid vir, quid senex: qualis fuerit in patriam, in parentes, in vxorem, in liberos, in amicos, in collegas, in ciues, in peregrinos, &c. aut virtutum distributionem, in qua commemorandum est, qua fide fuerit, qua beneuolentia, qua continentia in summis opibus; qua fortitudine in rebus aduersis, qua moderatione in magistratu gerendo, qua iustitia, qua prudentia, &c. Sed hîc cauendum est, ne longiùs ab historico rerum ordine recedamus.* Corporis bona, *vt forma, valetudo, vires, velocitas:* fortunæ, *quæ sunt externa bona, vt genus, opes, honores, auctoritas, amicitiæ, liberi, propinqui, & quæ sunt generis eiusdem, ideo laudantur vel vituperantur, non quòd habuerit quis ea, sed quòd ijs rectè vel malè sit vsus. Postremò laudes sumuntur ab ijs, quæ post mortem extiterunt; vt ab honoribus, à pom-*

Bona corporis.

Bona fortunæ.

pa

pa funebri, à fama, à litterarum monumentis. Vituperaturus, *omnia in contrarium torquebit; referetq; generis humilitatem, malam educationem, &c. docebit illum esse, & natura & fortunæ bonis abusum, scelerate vixisse, & impiam obijsse mortem.*

Confutatio *rarius incidit. Si tamen occurret aliquid inter laudandum, quod reprehensione dignum sit, id vel defendendum erit, vel excusandum: vt laudaturus Danidem prophetam, adulterium cæde cumulatum excusabit.* Perorationibus *vtemur breuibus, & vel ad imitationem, vel ad gratulationem auditores excitabimus in lætis, aut in tristibus consolabimur, miserationéue permouebimus, vel turpitudinem detestabimur.*

De Demonstratione Factorum.

Facta, sunt virtutum & vitiorum signa.

In *hoc genere eadem est, quæ in superiore fuit, exordiendi ratio. Narratione rarius vtimur integra, nisi forte nobis dicendum esset apud eos, quibus historia facti non satis esset nota, sed huius loco ferè propositionem adhibemus, quæ summam rei breuiter complectitur. Ea per comparationem proponi solet, hoc fere modo: Inter omnia fortitudinis exemplа, præclarissimo illi Horatij Coclitis facinori iure dandus principatus videtur. Id splẽdidius efferendũ est. Deinde subijciẽda orationis partitio.* Cõfirmationis loci *deliberatiuo generi sunt cõmunes honestũ, vtile, iucundum,*

Vide lib. 3. Rheroric. ad Heren. & l. 2. de Inuent. Deliber.) Vt enim facienda suademus: ita facta laudamus.

cundum, possibile. Ad honestum referuntur decorum, fas, æquum, glorioſum, magnum. Ad vtile, tutum & necessarium. Ad possibile, impossibile, facile, difficile. Honestum, dicitur, *quod sua vi ac natura laudabile est, propterq; se expetendum. Huic subijciuntur virtutes, religio, pietas, beneficentia, liberalitas, clementia, prudentia, fortitudo, temperantia, modestia, pudor, & reliqua virtutū genera. Huc* legitimum *pertinet, quod est legibus sacris & profanis, & exemplis bonorum commendatū.* Vtile dicitur, *quod non propter se, sed propter fructum & commodum expetitur. Vtilia maximè sunt ea, quæ ad vitam tuendam, & salutis conseruationem spectant: proxima sunt, quæ ad augendam rem familiarē. Sunt vtilia quædam cum honesto coniuncta; vt gloria, dignitas, amicitia, & quæ sunt similia.* Tutum, *quod positum est in tuēda incolumitate, & sua, & suorum.* Necessarium, *vel quod aliter fieri nō potest: vel, vt ait Cicero, sine quo salui liberiue esse non possumus: hoc deliberationem habet; illud non habet.* Iucundum, *quod honesta quadam voluptate aut animum, aut corpus, aut vtrunq; delectat.* Δύνατον *quod* possibile *vocant, id dicitur, quod fieri vel esse natura potest; id quod non potest,* ἀδύνατον, impossibile.

Facile *dicitur quod vel nullo, vel non magno labore, sumptu, molestia quàm breuissimo tempore confici potest. Hunc locum probant attributiones, tempus, occasio, modus, instrumentum, locus,*

Ad honestum referuntur, decorum, æquuū, glorioſum &c.

Vtile.

Tutum.

Necessarium.

Iucundum.

Possibile.

Impossibile.

Facile.

cus, & aliæ quædam. Contrarium est difficile. Difficile.

Spes consequendi id quod arduum videbatur, Spes.
facit, ne langueſcat animus. Hîc frequenter incidunt loci illi communes, *quibus aliquid in* De locis communibus.
alterutram partem vel attollitur, vel deprimitur, cùm in ea, quæ reprehendimus, verbis acribus, & ſententijs vehementioribus inuehimur; eaq́ rurſum quæ placent, extollimus & prædicamus. Veluti, ſi quem laudes à iuris ſtudio, locus communis erit, quantum adferat vtilitatem humanæ ſocietati iuris cognitio. Si Coclitis fortitudinem, quàm neceſſaria Reipub. Romanæ fuerit. Sunt hi loci non tantùm virtutum & vitiorum, ſed aliarum etiam rerum: de quibus in vita communi, & litterarum tractatione dici ſolet. In omni *doctrinæ genere plurimum prodeſt, præcipua complecti capita, quibus artis ſumma breuiter contineatur. Non caret tamen* Ratio colligendi locos communes.
etiam vtilitate ſtudium colligendi ſententias, & memorabilia ſcriptorum dicta. Habent enim teſtimonij pondus à viris magnis proditæ ſententiæ. De hac annotandi ratione Rodolphus Agricola Epiſtolam ſcripſit, & alij nonnulli ad ſtudioſorum vtilitatem præcepta quædam dederũt.

Locus communis eſt, qui rem laudatam vel vituperatam, amplificat, demonſtrata iam argumentis cauſa, tanquam in campum quendã excurrens.

Sunt autem loci: *Ratio, artes, virtutes, vitia, affectus, œconomia, coniugium, politia, magiſtratus, lex, mos, bellum, pax, vita, mors, ætas, forma, fortuna, opes, honores, aliiq́ plurimi, ab alijs ordine collocati. Adhibentur hi quidem extra cauſam, ſed qui cauſæ adiuncti illam reddant il-*

luſtriorem. Quare cauendum eſt, ne videantur affectati & alieni, tanquam panni quidam ab inepto temerè aſſuti. Quoniam autem præter honeſtum, quod à natura petitur, cæteri loci ferè ducuntur ab attributionibus, quas vulgò circumſtantias appellari diximus, de his quoque breuiter explicemus. Circumſtantiæ *nominatæ ſunt, propterea quòd rem ipſam circumſtent. Ea Latinè vocantur, quæ ſunt perſonis, & rebus attributa, quibus cauſa probabilior, & magis perſpicua redditur: à quibus Hermogenes omnia duci argumenta ſcribit. Earum vſus ad amplificationes confert plurimũ. Obſeruantur non ſolùm in demonſtratione factorum; in quibus explicandis conſiderari maximè debent; ſed in alijs etiam cauſarum generibus diligenter ſpectandæ ſunt, ac potiſſimum ſex: perſona, res, cauſa, tempus, locus, & modus, ad quem facultas & inſtrumenta referri poſſunt. De quibus ita quæri ſolet:* Quis, quid, vbi, quando, quomodo, quamobrem. Perſona *ſpectatur his ferè modis, nomine, natione, patria, genere, dignitate, fortuna, corpore, inſtitutione, moribus, victu, arte, conditione, habitu, vultu, inceſſu, oratione, affectu, &c. quæ ſunt attributa perſonis, explicata etiam à nobis in Tabulis dialecticis, ſub capite de locis perſonarum.* Res *ita conſideratur: an illa potuerit ab illo homine, illa cauſa, illo loco, illo tempore, illo modo fieri? Hac enim ratione circumſtantiæ omnes inter ſe coniungũtur.* Cauſa,

Honeſtum à rei natura petitur, cætera ferè à circumſtantijs.

De circumſtantijs.

Attributiones cauſam probant

Perſonæ attributa ſunt animi, corporis, & fortunæ bona.

Nam locus, tempus, cauſa, & modus rei attributa ſunt.

Res.

Cauſa.

vt

vt ira, ſpe lucri, ebrietate, amore, miſericordia, &c. factum eſſe.

Tempus, *vt die, noctu, die feſto, profeſto, faſto, nefaſto, &c.* Locus, *vt in templo, in lupanari, in ſylua, &c.* Modus, *vt clàm, palàm, violenter, impotenter, inſidioſè, imprudenter, caſu, &c. Eôdem &* facultas *refertur &* occaſio, *quæ tempori ſubijcitur. In exemplo quod modò poſui, ſic quæri poteſt, Quis? Horatius Cocles ſolus ſuſtinuit. Quid? Totum hoſtium agmen. Vbi? In ponte ſublicio. Quando? Bello Etruſco, hoſtibus in vrbem irrumpere conantibus. Quomodo, & qua occaſione? Occupato primò pontis aditu, modò ſingulos prouocans, modò increpans omnes, impetum hoſtium retardauit, donec poſt tergum ſuum pontem vidit abruptum. Quibus auxilijs? Incredibili ſua tantùm fortitudine, & infatigabili pugna. Quamobrem? Ne totius imperij Romani fortuna ſemel vno momento corrueret.* Confutatio *rarò incidit, quòd certa, non ambigua laudentur.* Peroratio *breui enumeratione colligit inſignia aliquot eius facinoris commoda: & affectus mouet, quos in demonſtratione perſonæ diximus. A contrarijs locis factorum vituperatio ducitur.*

Tempus. Locus. Modus. Facultas.

De Demonſtratione Rerum.

In *demonſtratione rerum; veluti virtutis, pacis, eloquentiæ, hiſtoriæ, &c.* exordia *tractan-*

tur, vt antè docuimus. Sæpè ducuntur ab insigni aliqua laude eius rei, de qua dicendum est. Nonnunquam, omisso diligentiori exordio, propositio, *quæ narrationis loco profertur, adhiberi per commendationem solet, in hanc ferè sententiam: Nulli scriptores melius de rebus humanis meriti sunt, quàm ij, quorum studio res gestæ superiorum sæculorum memoriæ proditæ sunt. Huic* partitio *succedit.* Confirmatio *laudes refert. Argumenta laudum sumuntur ex locis,* honesto, vtili, iucundo, possibili, &c. Honestas, *antiquitatem, originem, inuentores, & rei dignitatem ac præstantiam complectitur. Huc loci Dialectici referuntur, causæ efficientes, & ipsæ rerum definitiones, ex quibus laudis ratio omnis ducitur: vt, si philosophiam laudans voces donum Dei.* Vtilitas & vsus *commoda rei profert, continetq; locos Dialecticos, effecta, fines, officia, &c. Circumstantiarum hîc quoque habenda ratio est: docebimus enim, quibus, quando, vbi, cur vtile sit. Quando* facilitas *laudanda sit, aut contrà* difficultas, *prudens Orator considerabit.*

Tractatio honestatis & vtilitatis.

Confutatio *ijsdem, quibus Confirmatio, locis vtitur, vt, inhonesto, inutili, non necessario, iniucundo, periculoso, &c. & quæ ab aduersarijs vel obiecta sunt, vel obijci poterant, diluit.* Peroratio *potissima colligit argumenta, & affectus mouet. Atque hæc quidem* Laudationi *proposita sunt.* Vituperatio *verò contrarijs ex locis constat, quibus ostendendum est, rem inhonestam*

ſtam eſſe, inutilem, non neceſſariam, iniucundam, &c.

Ad eundem *ferè modum loca laudantur, vt regiones, flumina, fontes, vrbes, domus, agri, montes, aliaq; multa: etiam beſtiæ quædam; vt leo, equus, aquila, apes, aranea, &c.* Regiones *laudantur ab antiquitate & primis cultoribus, à Principibus, ab amplitudine, ſitu, amœnitate, aëris clementia, ac ſalubritate, à fluminibus, lacubus, mari, vrbium frequentia, celebritate, fertilitate, à frugibus, ab animalibus, à tuto itinere, à virtute bellica, humanitate, ſtudijs, &c.* De locorum demonſtratione. Laus regionum.

Vrbes *quoq; laudantur ab antiquitate, origine, cõditoribus, ſitu, munitionibus, à cœli temperie & amœnitate, ab aquis, à domorũ elegãtia, vicorum latitudine & munditie, à variarum rerum copia, à principibus, Reipub. legibus & inſtitutis, religione & ſcholis, à populi frequentia, ab ingenijs & ſtudijs, à fortitudine & vrbanitate, &c.* Flumina *laudantur ab ortu, ſcaturigine copioſa, velocitate, colore, à piſcium generibus & multitudine, ab alijs fluuijs quos recipiunt, à locis quæ alluunt, à nauium frequentia, & alijs commoditatibus.* Domus *laudantur ab amplitudine, figura, materia, à ſitu & proſpectu, ab horto, à puteo vel fonticulo, ab atrio, penetralibus, cubiculis, &c.* In agrorum *commendatione ſpectari ſolent hæc: amœnitas loci, fertilitas, & vbertas frugum & fructuum, varietas pomorum, arborum & herbarum genera, cultura,* Laus vrbium. Laus fluminum. Laus domorum. Laus agrorum.

Laus Montium. *prædia, &c.* Montes *laudantur à magnitudine, à radicibus, à miraculis, & prodigijs, & rebus memorabilibus, à fontibus, à frugum vbertate & copia.* Dictio *seu figura dicendi generis demonstratiui libera est, virtutem prædicans, & exornans: deliberatiui grauis ac prudens: iudicialis vehemens & concitata.*

Dictio generis demonstratiui, deliberatiui, & iudicialis.

De genere Deliberatiuo.

DELIBERATIONIS *finis est vtilitas, eáque cum honestate coniuncta: vel, vt Antonio apud Ciceronem, & Quinctiliano placet, dignitas. Ex tribus illis statibus, de quibus infrà dicemus; an sit? quid sit? quale sit? duo ferè in deliberationes incidunt, an sit? & quale sit? vt, sintne discendæ litteræ Græcæ? Et, sintne honestæ, vtiles, necessariæ? &c. Illud quoque spectari maxime solet; an fieri possit? & an fieri debeat? de quo deliberatur. Itemq́, an expediat? & vt expediat, an huic, hac ætate, hoc tempore? &c. Exemplis hoc genus est potissimùm illustrandũ. Nam futura è præteritis certiùs colliguntur, & alienæ fortunæ successu audientium animi, vel demittuntur, vel eriguntur. Tractatur exordio, narratione, propositione; cæterisq́ partibus. Exordio semper aliquo vtendum est. Nec enim abrupta placere potest oratio, nec, vnde libuit, incipere licet. Hìc tamen breuiora solent esse principia. In Senatu & in concionibus eadem est ratio, quæ apud iudices, conciliandæ beneuolentia:*

Lib. ij. de Orat. Lib. 3. cap. 10. Instit.

Quinctil. l. 3. cap 8.

lentiæ: hanc Orator à sua persona captabit, si dixerit: se nulla cupiditate, nullo metu, nullo odio, alióue quopiam affectu adductum. In publicis consilijs docilitas est necessaria. Priuatæ consultationes non videntur egere conciliatione, quòd ei quisque conciliatus est, quem consulit. Non solùm autem hîc sumuntur exordia *ab officio personæ; verumetiam à necessitate, vel vtilitate rei, à periculi magnitudine, & ab alijs rebus. In hoc genere moderatus orationis ingressus probatur.*

Narrationem *priuata quidem deliberatio non admodum requirit, sed conciones postulant. Tum demùm verò narramus, cùm gestum aliquid erit, ex quo nostra deliberatio nascitur. Vt pro lege Manilia narrat Cicero, Bellum geri cum potentissimis Regibus: vnde nascebatur consultatio de Imperatore deligendo. Narrationis igitur loco propositione per amplificationem elata vtemur, quæ nunquam omitti potest; vt pacem suasuri, paucis proponemus, nos de pace humanæ societatis conseruatrice consilium daturos prodijsse, &c.* Partitio *rerum ordinem, de quibus dicturi sumus, ostendit.* Confirmationis *loci sunt: honestum, vtile, iucundum, possibile: ad quos, vt antè dictum est, reliqui referri possunt. Atq; hi quidem in exhortando adhibentur.* Dehortationes *contrarijs locis constant; turpi, pernicioso, molesto, difficili, periculoso, &c.* Honestas *sumitur ex natura & legibus, & virtu-*

Confirmationis loci in hoc genere.

tum descriptionibus, quæ pertinent ad locos dialecticos, ex definitionibus & causis efficientibus. Huc dignitas, *gloria, fama & infamia, spes bonorum, & amicorum expectatio, inimicorum æmulatio, commiseratio, &c. referuntur, quæ plurimùm in deliberando valent.* Vtilitas & facilitas *exaggerandæ sunt:* Incommoda, *& quæ difficilia videbuntur, attenuanda erunt. Spectatur autem facultas tum in viribus ingenij, corporis, & rerum externarum; veluti amicorum, opum, dignitatis, auctoritatis, &c. in circumstantijs temporis, loci, modi, &c.* Necessarium *reliquis omnibus violentiùs vrget, & ad vtilitatem à Fabio refertur, itemq; à Cicerone in Partitionibus oratorijs, vt sit necessitas, vtilitas necessaria, sine qua salui liberiue esse non possumus.* Duplex enim est necessitas, *vt idem Cicero scribit in secundo de Inuent. libro: vna* simplex & absoluta, *quæ non cadit in deliberationem: altera cum* adiunctione, *siue exceptione, siue conditione, quâ vel grauiorum metu faciendum aliquid proponitur, vel honestati, incolumitati, aut etiam commoditati consulendum, de qua hîc loquimur: vt si necesse dicas esse, dedere vrbem, nisi fame perire malint: necesse liberare socios, fines defendere, si dignitatem retinere, si vitam conseruare volumus.* Confutatio *ex locis contrarijs diluit, quicquid ab aduersario possit obijci.* Peroratione *colligit Orator, quæ firmissima sunt, rerumq; gestarum exemplis, quæ plurimùm*

Necessarium in deliberationem cadit.

in

in hoc genere valere diximus, hortatur & affectus mouet. Huius generis exempla passim obuia sunt in poëmatis & historijs, & in epistolis. Vnus Liuius multa suppeditabit. Cicero Philippica vij. suasoris & dissuasoris partes agit. Suadet bellum cõtra Antoniũ: si pace frui volumus, inquit, bellũ gerendum est: Si bellum omittimus, pace nunquam fruemur. Dissuadet pacem; quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. His tribus argumentis absoluta dissuasione perorat his verbis: Nolite igitur velle quod fieri non potest, & cauete, per deos immortales, P.C. ne spe præsentis pacis, perpetuam pacem amittatis.

De genere Iudiciali.

FINIS *generis iudicialis, vt antè diximus, est æquitas. Partibus orationis hoc genus constat ijs, quibus omnis perfecta oratio.* In exordio *beneuolentiam aut à nostro offcio, aut ab eius pro quo dicimus commiseratione, aut ab aduersarij, qui periculum innocenti facessat, inuidia; aut à iudicis persona ducimus.*

Attentio *magnitudinem causæ commemorat.*

Docilitas *perspicuitatem & breuitatem pollicetur, ac summam causæ indicat.* Narratio, *rem gestam exponit, multis passim suspicionibus, tanquam seminibus argumentorũ sparsis. Quam*

inde ducemus, vnde causa nostra maximè sit verisimilis, & vsq; eò prosequemur, dum id incidat, quod in controuersiam adductum est. Ex narratione quæstio, seu status, seu propositio, ducitur, quæ causæ cõmemorationi statim succedit, quod confirmationis omnis caput est. Confirmationis *loci, pro statuum varietate sunt diuersi.*

Refutatio, *aduersariorum sententiam reprehendit.*

Peroratio, *propositionem & argumenta potissima repetit, & affectus mouet, quibus aut ab accusatore Iudex inflammetur, & odium reo concilietur; aut à defensore ad misericordiam flectatur. Cum autem in hoc genere, varij sint, vt modò dictum est, pro diuersis statibus, loci: quid sit status, ostendamus.* Statum seu constitutionem *Rhetores vocant id, de quo controuersia est, caput siue summam causæ, ac totius orationis veluti scopum, ad quem omnia debent argumenta dirigi. Neque verò solùm in iudicijs spectatur status: sed in alijs etiam causis animaduerti potest; vt in* Demonstratione: *sitne laudandum aliquid aut vituperandum? in* Deliberatione: *sitne vtile, honestum, necessarium, possibile, facile? &c. Sed hîc diligentissimè debet obseruari status, id est, quod Orator præcipuè sibi obtinendum, & Iudex spectandum maximè intelligit, & velut cardo, in quo tota causa vertitur, quem nisi primùm inueniat Orator, multa in argumẽtando aut aliena, aut inutilia, aut ipsi etiam*

Status seu constitutio.

etiam nocitura dicturus est. Status triplex est, Coniecturalis, cùm quæritur, an sit factum? Finitiuus, cùm quid sit factum? & Iuridicialis, cùm quale sit, quæritur, qui status qualitatis appellatur, & iuréne an iniuria sit factum? Nascitur status ex intentione Accusatoris, & depulsione Rei: quorum ille crimen infert; hic diluit ac propulsat, vel infitiando, vel definiendo, vel iure factum defendendo; vt, Occidisti Aiacem Vlysse. non occidi. status; an occiderit? Feciſti ſacrilegium. non ſacrilegium, ſed furtum feci. ſtatus, quid fecerit? illud coniectura, hoc finitione tractatur. Interfeciſti Clodium Milo. interfeci quidem, ſed iure. ſtatus, an iure occiderit? Reperto ſtatu quærenda ſunt, ratio & firmamẽtum. Ratio, τὸ ἀντιον, id appellatur, quod criminis depellendi causa reus adfert, quod niſi attulerit, nullum erit iudicium. Firmamẽtum eſt id, quod continet accuſationem, & σύνεχον Græcè dicitur, infirmatio rationis allatæ. Iam ex ratione & firmamento κρινόμενον, exiſtit, ſeu iudicatio, ſiue qua de re agitur. Exempli cauſa. Intentio ſit: Sacrilegus es: Depulſio. Non ſacrilegus ſed fur, Status ſeu quæſtio, quis ſit, quóuc nomine appellandus? Ratio: Rem enim profanam ſuſtuli, redditurus quadruplum. Firmamentum: Sed ex æde ſacra depoſitam pecuniam, ſurripuiſti. Iudicatio. Sacrilegium ne fecerit, an furtum, qui profanam pecuniam ex æde ſacra ſuſtulit? Item; Intentio eſt. Occidiſti Clodium: Depulſio, Occidi. ſed iure.

Status triplex. Coniecturalis. Finitiuus. Iuridicialis.

Ratio.

Firmamentum Vide partit. Cic. lib. 1. de Inuent. & Cornific. ad Heren. iudicatio ſiue qua de re agitur Cicero in Topic. ſiue diſceptatio in Partit. Illud in quo quaſi certamen eſt: Quinctil. l. 3. cap. vl.

Status.

Status. Iuréne id an iniuria fecerit? Ratio: Nã insidiatorem ius est occidere. Firmamentum, At hominem indemnatum occidere tibi non licuit. Iudicatio: An iure Milo insidiatorem Clodium indemnatum occiderit? Plura autem possunt ad vnicam rationem adferri firmamenta, & ad vnum firmamentum plures rationes. Sed in coniecturali statu nec ratio nec firmamentum quaeritur, sed ex intentione & depulsione iudicatio constituitur, quæ eadem erit, & status & quæstio. In vnaquaque oratione quamlibet longa, semper vnus aliquis ex omni argumentorum turba præcipuus Syllogismus obseruandus est, in quo pars extrema, quæ conclusio seu complexio dicitur, status est; vt in Tabulis dialecticis ostendimus: sumptionum verò, quas vulgus præmissas appellat, ea quæ manifesta est, & quæstioni fidem facit, αἴτιον, seu ratio nominatur: altera, quæ controuersa est, & cui probando ratio adhibetur, κρινόμενον, Græcè; Latinè, iudicatio vocatur.

In quauis oratione vnus aliquis obseruandus est præcipuus syllogismus.

De locis status Coniecturalis.

STATVS *coniecturalis duo sunt loci:* Voluntas & facultas, *qui suspicionem probant, docentq́; & voluisse, & potuisse eum, qui accusatur, argumentis à circumstantijs personarum & rerum ductis.* Voluntas *qualitatem personæ, & causam inducentem ad suscipiendum facinus complectitur. Huius causæ loci duo sunt:* Impulsio,

Voluntatem & facultatem dialectici causam efficientem & finem appellant. Coniectura petitur à circumstantijs. Voluntatis loci.

Impulsio.

pulsio, & Ratiocinatio. *Ad* Impulsionem *pertinent affectus temerario impetu ad maleficium excitantes; velut, ira, odium, amor, vinolentia. Vt si dicatur, Clodius odisse Milonem, & ob id extinctum voluisse, argumentum ab efficiente causa ductum est. Hîc illa diligenter spectanda sunt, persona, natio, vita integra aut corcupta, Audia, natura, affectio animi, habitus corporis, fortuna, & reliqui loci personis attributi. Ad* ratiocinationem *referuntur, quæstus, præmium, spes commodorum, honorum, &c. vel euitatio incommodorum, infamiæ, doloris, &c. Et hinc, tanquam ex fine ducetur argumentum, si probemus profuturum Clodio fuisse Milonis interitum. Ex quo probabile fit, Clodium insidias posuisse: si doceamus illud quoque, alij nemini id bono, præterquam reo fuisse; aut alium neminem æquè perficere potuisse.* Ratiocinatio.

Contrà, defensor *negabit fuisse causam, si poterit; sin minùs, eam vehementer extenuabit.* Deinde *iniquum esse dicet, eos, ad quos emolumenti aliquid peruenire potuerit, in suspicionem maleficij vocari.* Tum *id alijs quoque bono fuisse, aut alios quoque facere potuisse.* Facultatis *loci sunt, signa & rerum circumstantiæ, quibus probatur suspicio.* Facultatis loci signa et circumstantiæ. Signum *est veluti dictum aut factum antecedens, vel consequens, vel cum ipsa re cohærens, quod nocentes sequi ferè solet; vt minæ, sic adeprehensa, titubatio, trepidatio, pallor, rubor, & similia signa, quæ* Signa.

sæpè

ſæpè nocentes produnt. A ſigno antecedente Cicero probat Clodium inſidias poſuiſſe, non Milonem; quòd ille expeditus in equo profectus ſit, hic in Rheda cum vxore & liberis, & quòd hunc illum triduo periturum dixerit. Circumſtantiæ ſunt, *velut locus, tempus, occaſio, ſpatium, ſpes perficiendi & cælandi, modus, inſtrumenta, vires. Status coniecturalis dicitur etiam infitialis: coniecturalis quidem ab accuſatore, quòd is factum quibuſdam coniecturis probet: à defenſore verò infitialis, quòd is inficietur & neget.* Infitiationis *autem ijdem ſunt loci, qui cõfirmationis. Hìc enim defenſor ſingula accuſatoris argumẽta, quoad poterit, infirmabit, & vel voluiſſe, vel potuiſſe negabit, quòd non eo ſit ingenio, non ea animi potentia, non ijs viribus, aut opibus. Et quoniam de ſignis cõtenditur, vel confirmandis, vel infirmandis, duo peculiares defenſoris loci traduntur ad contrariam ſignorum interpretationem:* Abſolutio, & Inuerſio. Abſolutio eſt, *per quam ſignum vel cauſam contra nos allatam diluimus, & longè aliter, atque aduerſarius, interpretamur. Verbi cauſa: Occidiſti, quia ſepelijſti? ſepelij quidem, non vt factum cælarem; ſed vt à ferarum laniatu miſerum & derelictum defenderem.* Inuerſio *ſignum inuertit, & quod contra nos eſt obiectum, pro nobis facere docet; vt, Sepeliſti, ergo occidiſti? inuertitur ſic; imò ſi occidiſſem, non ſepelijſſem. Communes ſunt loci: à teſtibus, contra teſtes: à rumoribus,*

Circumſtantiæ.

Coniecturalis vnde dictus? qui etiam infitialis, & vnde?

Peculiares defenſoris loci.

Abſolutio.

Inuerſio.

contra

contra rumores: ab argumentis & signis: contra argumenta, &c. de quibus Cornificius ad Herennium lib. 2.

De statu Finitiuo.

STATVS *finitiuus dicitur, cùm de nomine facti quæritur: vt, si quis rem profanam è loco sacro furatus, neget sacrilegium à se factum, quòd nihil de rebus sacris attigerit, sed furtum esse velit: accusator sacrilegium esse cõtendat, quòd de sacro abstulerit. Vel, si quis in domo meretricia pro mœcho comprehensus, neget se adulterium commisisse; quamuis vxorem habeat. Res via & ratione dialectica explicabitur. Dispositio, & ordo orationis hic teneri potest.* Exordiendum est: *deinde narrandum factum; hinc proponendum; mox partienda oratio: tum nostra definitio confirmanda est, vt cum ipso facto congruens; & contrariæ defensionis ratio refellenda, si falsa, si turpis, si inutilis, si iniuriosa sit, &c. Postremò ad causam vtiliter perorandũ est.*

Status finitionis Vide Cic. Partit.

Vide l. sacrilegi. ff. ad legem. Iul. pecul.

Dispositio status finitionis.

De statu Qualitatis seu iuridiciali.

STATVS *qualitatis est, cùm factum esse constat; sed quale sit? & iuréne an iniuria factũ sit, quæritur: vnde & iuris seu iuridicialis status appellatus est. Et quia de vi & natura & genere negotij controuersia est, constitutio generalis*

etiam

etiam vocatur: vt si quis hominem quidem à se fateatur occisum, sed vel insidiatorem, vel furem nocturnum, vel proscriptum, &c. Sic, à Milone Clodium interfectum esse, constabat, sed iure interfectum insidiatorẽ, Cicero probat. In hoc genere vehementer obijcitur ab accusatore crimen amplificatum attributionibus, loco, tempore, persona, modo, & cæteris: itemq; verbis, sententijs & figuris: quæ defensori prudenter omnia & callidè, sunt vel refutanda, si possint, vel extenuanda, si nõ possint dilui. Partes eius sunt: *exordium, narratio, propositio cum partitione, cõfirmatio, confutatio & peroratio. Confirmationis proprij sunt loci: reliquæ partes ex superioribus notæ sunt.* Cõfirmationi tribuuntur *hi loci: ius naturæ, & scriptum seu lex (vel diuina vel humana, tum publica tum priuata) consuetudo, æquum, bonum, iudicatum, pactum.* A natura, *seu naturali iure defenditur Milo, qui vi coactus, cùm alterutrum ei faciendum esset, & aut occumbendum, aut occidendus Clodius, sibi melius esse quã alteri maluit.* A lege: *Vim vi repellere licet: & insidiatorem occidere ius est.* A consuetudine: *Licuit semper more patrio vim omnem à capite & vita propulsare.* Ab æquitate, seu æquo bono: *Quid enim gladij volunt, si his vti nullo pacto liceret? quis tutò facere iter aliquô posset, obsidentibus vias sicarijs? Et benè profectò cum latronibus ageretur, si liceat impunè grassari, nemine repugnante.* A iudicato

Ius { Natura, Lex, Consuetudo, Aequum, & bonum, Iudicatũ, Pactum.

seu

seu præiudicio: *Sæpe Iudicum sententijs liberatum fuisse accepimus, qui vi coactus necem latroni intulisset.* Pactum *in Miloniana non incidit. Pone conuenisse inter creditorem & debitorem, vt si creditori intra biennium solutum nõ erit, ius ei sit greges debitoris abigere. Refutationis ijdem sunt loci, qui confirmationis.* Iudicatum exempla etiam complectitur, & illustrium virorum sententias ac testimonia.

De duplici statu qualitatis, absoluto, & assumptiuo.

DEFENSORI *duplex status est.* Absolutus, *cùm simpliciter, quod factum est, defenditur; veluti cùm id quod obijcitur, iure factum esse, dicimus. Et* Assumptiuus, *cùm per se infirma est defensio, sed assumpta re extranea comprobatur; veluti cùm per se probari factum nequit, sed extrinsecus accersito colore iuuatur, & extenuatur crimen.* Absolutus status. Assumptiuus.

Assumptiui *status loci sunt quatuor: Concessio, Relatio, seu translatio criminis, Remotio & comparatio criminis.* Concessio *dicitur, cùm non defendit factum, sed postulat, vt ignoscatur sibi, reus. Concessionis duæ sunt partes: purgatio & deprecatio.* Purgatio *est, cùm reus consultò aut dolose fecisse negat, factúmque concedens, culpam remouet. Ea diuiditur in necessitudinem, fortunam, & imprudentiam, quibus honestaaliqua facti excusatio continetur.* Necessitudo *est, cui nulla vi obsisti potest: vt cùm se vi-* Loci status assumptiui. Concessio. Purgatio seu excusatio. Necessitudo.

olento impetu coactum feciſſe reus fatetur; veluti tempeſtate, inundatione, &c. in qua conſiderandū eſt, num per culpam in eam neceſſitudinem ventum ſit? num quo modo vis illa vitari potuerit? tum ſi maximè neceſſitas fuerit, conueniat ne, ſatis idoneam eam cauſam putari? Ad

Fortuna. *neceſſitudinem fatum quoque retulerunt.* Fortuna *ſeu caſus eſt, cùm demonſtratur aliqua fortunæ vis voluntati obſtitiſſe: veluti, ſi quis adiecta pœna, pecuniam certo loco ſoluturum ſe promiſerit, & maturè domo profectus vſque aduerſis tempeſtatibus vſus ad diem præſtitutam non venerit: hic caſum & fortunam accuſabit. eadem hîc ſunt conſideranda, quæ de neceſſitudine*

Imprudentia. *præſcripta ſunt.* Imprudentia *eſt, cùm ſciſſe aliquid, is, qui arguitur, negatur; vt ſi venatoris haſta in feram miſſa, in hominem incideriit. In hac quæritur, vtrùm potuerit ſcire? an non potuerit? Deinde vtrùm data ſit opera vt ſciretur? an non? vtrùm caſu neſciret, an culpa? Nam qui amore, vino, ira vincitur: ſuo vitio videbitur neſciſſe, non imprudentiâ. Sic reijcientur illa, feci iratus, ebrius, amoris impotentiâ, &c. Ex coniecturali conſtitutione quæritur; vtrùm ſcirit an ignorauerit? & ſatíſne imprudentia præſidij debeat eſſe, cùm factum eſſe conſtet. Altera con-*

Deprecatio. *ceſſionis pars* Deprecatio *eſt, cùm ſimpliciter miſericordiam is petit, quem peccaſſe & conſultò feciſſe conſtat. Exemplum aliquod eſſe poteſt, apud Ciceronem in oratione pro Q. Ligario.*

rio. Huius rarus vſus eſt in iudicio, nec adhiberi ſolet, niſi cùm pro eo dicimus, cuius multa extiterint præclara facinora, & qui Reipub. cauſa interdum pericula ſubierit. Sed in concione populi, apud Imperatorem, vel Senatum frequentiùs vſurpatur.

Ratio ignoſcendi *petitur ex his locis: Si plura aut maiora officia, quàm maleficia conſtare videbuntur: ſi qua virtus ſingularis aut nobilitas in ſupplice erit: ſi qua ſpes eum aliquando vſui futurum oſtendetur: ſi ille ipſe ſupplex, manſuetus, miſericors in poteſtatibus probetur fuiſſe: ſi non odio, neque crudelitate, ſed officio, & certo ſtudio commotus deliquerit: ſi tali de cauſa alys quoque ſit ignotum: ſi nihil periculi eo dimiſſo relinqui videatur: nulla denique reprehenſio vel ſuſpicio mali.*

Relatio, ſeu tranſlatio criminis eſt, *cùm feciſſe nos non negamus; ſed coactos, aut aliorum peccatis laceſſitos dicimus: vt, Promiſi, ſed metu permotus. Oreſtes matrem interfecit; ſed impia patris nece coactus. Maritus vxorem in adulterio deprehenſam gladio tranſfixit; ſed rei indignitate, & acerbo dolore impulſus. Imperator militem occîdit, quòd in acie exclamauerit: vincimur. Milo Clodium, inſidiatorem, & qui remp. vexabat. In hac ſpecie quæritur, verène in alium crimen tranſferatur? oportuerítne in ea re peccare, in qua alius antè peccarit? oportuerítne ante iudicium fieri? &c. Accuſator dicet, non* Relatio criminis

licuisse de indemnatis supplicium sumere: defensor peccati atrocitatem exaggerabit eorum, in quos crimen transfertur.

Remotio criminis.

Remotio criminis est, *cùm à nobis non crimen, sed culpam amouemus, & peccati causam vel in rem quampiam veluti legem, vel in hominem, cuius iussu fatemur esse factum, conferimus: vt, Seruilius Hala Sp. Melium interfecit, sed Dictatoris iussu. Lictor insontem percussit, sed præcepto Consulis. Remotio criminis hoc à relatione differt, quòd remotione totum penitùs crimen tollitur: relatione minuitur dum taxat culpa Rei aliorum peccatis lacessiti.*

Comparatio.

Comparatio est, *cùm dicimus necesse fuisse alterutrum facere, & quod a nobis factum est, satius fuisse fieri; veluti, si dux, qui iniquo loco deprehensus, impedimentis relictis exercitum fugâ saluum educere, quàm nulla spe victoriæ confligere maluit, accusetur maiestatis. Hîc quærendum est, fuerítne satius, honestius, vtilius? potuerítne vitari, ne in eum locum veniretur? oportuerítne & ipsum iniussu eorum, quorum fuit statuendi potestas, id facere? &c.*

Ex lib. ij. de Intuent.

De controuersijs ex scripti interpretatione.

Constitutio legitima, seu status legalis.

AD *qualitatem pertinere videntur controuersiæ ex legis aut scripti alicuius interpretatione, cùm aut scriptum sit ambiguum, aut contrarium,*

um, aut discrepans à scribentis sententia: quæ referuntur ad statum legitimum seu legalem, cuius quinq; formæ sunt: Ambiguum, Scriptum & sententia, Scripta contraria, Ratiocinatio, Translatio. Præter hos legales, Quinctilianus omnes status rationales appellat. Legales *erunt quinq;, si translatio cum cæteris quatuor annumeretur, & ratiocinatio, quem syllogismum Græci vocant, retineatur: pauciores etiã erunt: si scriptum & voluntatem, ad ambiguum referri posse dicatur. Ex his sine controuersia tres ab omnibus ferè sunt recepti, nimirùm, ambiguum, discrepantia scripti et voluntatis, & scripta contraria; quos auctore Cicerone in ij. de Orat. & in Partitionibus oratorijs rectiùs ad statũ qualitatis, quàm finitionis referimus, sicut & translationem, quòd hæc iuris & iniuriæ partibus, qui sunt qualitatis loci, potissimùm contineatur: quæ tamen quibusdam status esse non videtur, quòd non constituat, sed excludat potiùs actiones, vt aiunt. Nos eam tamen omittendum non putantes, postremam reliquis adiunximus. Ex ambiguo nascitur controuersia, cùm scriptum duas aut plures accipit sententias, quæ vel ex verbi, vel orationis ambiguitate colligitur: vt, Benedicite aquæ supra cœlos domino. Hìc quæritur à quibusdã, an supra cœlestes orbes aquæ sint? Quidam amico gallum legauit: post mortem eius, amicus seruum petit nomine Gallum: hæres auem se debere dicit. Lege quæ traduntur à Dialecti-*

status dupex est: vnus in ratione iuris & æquitatis positus rationalis: alter in scriptis, legitimus seu legalis.

Tria sunt, in quit, Cic. in Topic. genera, quæ controuersiam in omni scripto facere possunt: ambiguum seu discrepantia scripti & voluntatis, scripta contraria.

Idem in Oratore omnia ad ambiguum & contrarium refert. Status ambigui.

cis de homonymia & amphibologia. Dispositio; Exordium recitatio scripti sequetur; id deinde interpretabimur, ac docebimus, quod nos interpretamur, id perspicuum esse, & minimè absurdum, ac fieri posse honestè, rectè, lege, more, natura, bono, & æquo; quod aduersarius interpretatur e contrario. Scriptum & sententia controuersiam faciunt, cùm scriptoris voluntas à scripto dissidere videtur: vel cùm pars altera scripto nititur, altera voluntate: veluti, si, quod scriptum est, pugnare cum æquitate, vel absurdi aliquid, aut ambigui, cõtinere dicatur: vt, Quisquis infixerit colaphum in dexteram maxillam, obuerte illi & sinistram: cupientiq; tunicam tibi detrahere, permitte & pallium. Et: Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Volũtas autem & sententia scriptoris ex aliorum locorum collatione constat. Lex erat, quæ legatis ferro interemptis statuam decernebat. Seruius Sulpitius legatus ad Antonium missus in legatione, non ferro, sed labore legationis periit. Huic Cicero illum honorem decerni volebat in Philippicis. In confirmatione scripti hunc licebit ordinem sequi. Exordio recitatio scripti subiungetur, quæ narrationis & propositionis loco fuerit. Argumenta sumentur, primùm à scriptoris collaudatione, deinde à scripti recitatione, tum à collatione, quid iudicem sequi conueniat, vtrùm id quod diligenter perscriptum sit, an quod acute excogi-

Dispositio status ambigui.

Status scripti & voluntatis.

Dispositio status scripti & sententiæ.

Pro scripto contra voluntatem.

excogitatum: quærendum, cur eam sententiam, quæ falsò ab aduersarijs scripto attribuitur, homo diligentissimus exprimendam verbis non putârit? postremò proferentur exempla, & res iudicatæ; atque ostendendum est, quàm periculosum sit à scripto recedere, præsertim cùm dilucidè, breuiter, commodè, & perfectè scriptum sit. Sententiam probaturus exordietur, & scriptum recitabit: deinde commodam breuitatem scriptoris laudabit, qui tantum scripserit, quantum necesse fuit: id verò quod sine scripto facilè potuit intelligi, scribendum non putârit. Dicet calumniatoris esse verba, & litteras sequi, neglecta voluntate: deinde id, quod scriptum est, non posse fieri, lege, natura, more, aut æquo bono; quæ tamen omnia scriptorem voluisse quàm rectissimè fieri, neminem dubitare. Contrariam sententiam dicet iniquam, stultam, & cum superioribus & inferioribus collatam non constare, aut cum iure, legibus, & natura pugnare. Postremò quæret exempla, quibus sententia magis & voluntas scriptoris, quàm verba valuerunt. Circumstantiarum semper habenda ratio est. Æquitas ex causis & effectis colligitur. Contrariorum scriptorum, vt contrariarum legum status existit, cùm duæ sententiæ, aut leges pugnare inter se videntur, aut casu aliquo colliduntur. Veluti, si lex vna iubere aut permittere videatur, & altera vetare: vt, Furti conuictus quadruplum restituat. Et, Fur suspendatur.

Pro voluntate contra scriptũ.

Contrariarum legum status.

Hic & accusator & defensor suam vterq; legem habet, quâ se tueatur. Item, parendum est magistratui. Etiámne si quid impium præcipiat? Hic repugnantia oritur. Reconciliabimus illa superiora, si doceamus in iure ciuili noua lege veterem abrogari, vel aliquid de ea derogari: sicut & lege speciali de generali. Scriptum quoq; ius consuetudini interdum cedere. Posteriora desinent pugnare, si dicamus, humanas leges diuinis cedere: Deiq; voluntati magis obedire nos quàm hominum oportere. Dispositio orationis hæc erit: *Exordiendum: deinde recitandum: mox videndum est, num qua sit abrogatio vel derogatio: tum nostræ legis expositio proferenda est, & perspecta circumstantiarum ratione, si fieri possit, pugnantes conciliandæ sunt: si non possit, altera penitus reiicienda est, vt inhonesta, iniqua, inutilis. Quod de legibus inquit Fab. Quinctilianus, dico: idem accipi volo de testamentis, pactis, stipulationibus, omni deniq; scripto, idem de voce. Ratiocinationis status est, cùm res, quæ propria lege non est comprehensa, ex alijs legibus propter similitudinem iudicatur. Sed hic videndum est, num ea res similis sit ei, de qua quæritur, an dissimilis? & quæ sint eius dissimilitudinis causæ: num ex alio aliud necessariò colligatur? Qui parentem interfecerit, parricida est; quid si matrem? aut etiam quemuis propinquum? Cicero in Topicis:* Quoniam vsu auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. *At in lege ædes*

Dispositio status contrariarum legum.

Status ratiocinationis.

non

non appellantur. Hoc est, quoniam fundum biennio vsucapi lege permissum est, vsucapiantur & ædes biennio. Translationis seu commutationis status est, cùm reus litem defugiendo, aut tempus, aut accusatorem, aut iudices mutandos dicit: negatq; debere se videlicet accusari apud hos iudices, hoc tempore, hac lege, hoc crimine, hoc modo, hoc loco, hoc accusatore, hac pœna, &c. Hic Iurisconsulti consulendi sunt, lib. xliij. Pandect. tit. 1. & lib. 8. Codicis, tit. de exceptionibus seu præscriptionibus, qui docent, quando vel respondendum ad rem sit, vel arte fugiendum iudicij periculum. Confirmatio petitur ex causis, effectis, legibus, more, &c. Dispositio: Exordiemur, deinde narrabimus, si quid erit, mox proponemus, tum excipiemus: exceptionem confirmabimus, & contraria remouebimus: postremò perorabimus. Vide Quinctil. lib. 3. Cap. 6.

Translationis, seu commutationis status.

Hinc Quinctil. litem præscriptionis vocauit, quam exceptionem licebit appellare.

Dispositio translationis status.

De Dispositione, secunda Artis dicendi parte.

DISPOSITIO *est apta rerum inuentarum collocatio, in qua vel maximè Oratoris prudentia spectatur.* Ea triplex est: *Prima, partium orationis, altera, locorum & argumentorum, tertia, argumentationũ. Prima duplex est:* Vna artis, *qua naturalis ordo seruatur, vt primo loco sit exordium, deinde narratio, tum propositio &*

Dispositio partium orationis duplex.

Dispositio artis.

ita deinceps ordine ab arte præscripto reliquæ partes subiungantur. Altera iudicij est, quæ nullis præceptionibus tradi potest, & ad rationem temporis accommodatur, qua nonnunquam, exigente causa, ab artis ordine recedendum est, & vel pars aliqua orationis relinquenda, vel alia alij præponenda. Vt in Miloniana causa confutatio narrationi & probationi præponitur; priùs enim Cicero confutat, & præ iudicijs reum liberat, quàm narrare incipit. Et in oratione pro Sylla confirmationem præcedit confutatio. Est illud Accusatoris, primùm confirmare, deinde refutare: contrarium Rei, qui priùs aduersarij tela retorquet, quàm sua profert argumenta. Nihil hic de artificiosa poëtarum dispositione dicere institui, qui consultò naturæ ordinem relinquentes, vel à medio, vel à fine auspicari solent. Contrà Historici res, vt gestæ sunt, exponunt, naturæ sequentes ordinem.

Dispositio iudicij.

Quinctil. li. 3. cap. 13.

Dispositio locorum.

Locorum & argumentorum dispositio, sicut omnis rerum collocatio, Oratoris iudicio relinquitur: ille, totius causæ natura bene perspecta, videbit, vnde sit vtiliter exordiendum; de quo nihil certi præcipi potest. Illud tamen obseruandum est, in oratione Cic. pro Archia poëta, itemq; pro M. Marcello, generalem quandam studiosis imitandam exordij collocandi rationem proponi, quam tradit Hermogenes. Narratio temporum ordinem obseruabit: cui subiiciuntur propositio & partitio. Succedit his causæ totius

Collocatio exordij.

Narrationis.

totius explicatio, confirmatio, & confutatio. Omnes autem probationes & argumenta ducuntur ex locis, quorum ea dispositio seruari solet, præsertim in confirmatione, vt firmissimæ probationes; quales à definitione, diuisione, causis, effectis, aliisq; nonnullis ducuntur, & primo & postremo loco ponantur; vt statim initio moueatur Iudex, & postremùm argumentorum pondere, impellatur: mediocres & infirmiores in medium agmen coniiciantur, quomodo ab Imperatore perito solet acies instrui. Atque hæc quidem in genere iudiciali potissimùm obseruari debet. In demonstratione personæ, discrimina ætatis indicabunt ordinem: in demonstratione facti, & in deliberatione primo ferè loco erit honestas, secundo vtilitas, tertio facilitas vel difficultas. Argumentationis hic ferè tenetur ordo atque dispositio, vt posita quæstione, propositio prima syllogismi seu ratiocinationis pars collocetur; ex qua vis omnis emanat argumentationis; sequatur eius ratio, quæ id quod proposuimus, verũ esse demonstrat: tum assumptio, quæ id quod est in controuersia, cum argumento coniungit, & mox eius addatur approbatio: postremò cõplexio, quæ concludit argumentationẽ ac perficit. Vide Cic. lib. 1. de inuentione. cuius auctoritatem nos etiam in tabulis Dialecticis sumus secuti, in explicando syllogismo rhetorico; cuius partes ita numerauimus, propositionem, propositionis rationem, assumptionem, assumptionis rationem, & com-

Probationum.

In iudicio.

In demost.

Dispositio argumentationis.

Quinque partita ratiocinatio.

complexionem, seu conclusionem. Harum autem partium quanquam abesse interdum aliqua possit; vt quadripartita sit ratiocinatio, cùm alterius sumptionis ratio prætermittitur; tripartita, cùm vtriusque; tamen absolutissima est ea, quæ constat ex omnibus. Sæpè rationes confirmantur, non rarò confirmationes desiderantur. His interdum adijcitur exornatio seu expolitio, quæ rei honestandæ & locupletandæ causa adhiberi solet; argumento iam confirmato.

De Elocutione, tertia parte officij oratorij, eáque præcipua.

ELOCVTIO *est orationis exornandæ ratio, seu idoneorum verborum & sententiarum ad res inuentas accommodatio; quæ facit, vt Latinè, vt planè & dilucidè, vt ornatè, vt aptè dicamus. Hæc pars Rhetoricæ maximè propria est, & plurimùm præceptis iuuatur: quippe quæ sola constet arte. Cùm enim inuentio & dispositio, quæ magis ingenio atque prudentia comparantur, quàm arte, cæteris quoq; disciplinis scientijsq; sint communes: sola ornatè copioseq; dicendi facultas Oratorum propria est.* Oratio commendatur *his maximè luminibus: perspicuitate, probabilitate, splendore, iucunditate, ac suauitate; quibus breuitatem addidit Cicero in Partitionibus. Et quod apud eundem Crassus lib. iij. de Orat. Quinam igitur dicendi est modus melior, quàm vt Latinè, vt planè, vt ornatè, vt*

Nam ab eloquẽdo & Orator & ars oratoria & ipsa oratio dicuntur.

Orationis lumina & genera dicendi.

ad

ad id, quodcunq; agetur, aptè congruenterq; dicamus? ad omnes orationes pertinet : Quatuor autem hæc aut quinq; referri possunt ad illa tria dicendi genera, quæ Græci orationis ideas seu characteres appellant, quasi formas figurasq; dicendi: de quibus multi scripserunt, Hermogenes & Demetrius Phalereus, & Cicero in Oratore copiosè, & Fabius lib. xij. cap. x. Genus *dicendi seu idea definitur, apta rebus & personis orationis forma: quæ triplex fere traditur; humilis seu tenuis, mediocris & sublimis.* Humile *dicendi genus seu summissum, seu attenuatum dicitur, quod puro atque dilucido sermone contentum, figuras ac sententiarum ornamenta partius adhibet, verborum proprietate & vsitata translatione, acumine & lepôre, delectatur, reliquo ornatu & amplificationibus, & insignioribus numeris & periodis accuratioribus abstinet. Hoc genus in orationibus Atticum dicebatur, tersum & limatum, Philosophorum disputationibus vsitatum, & aptum sermoni familiari. Sed in hoc illud fugiendum est vitium, ne sit aridum & exangue orationis genus, quod exile vocatur. Tenui genere Cicero vsus est, interdum in dialogis, in Philosophicis disputationibus, in epistolis multis, atq; etiam in aliquot orationibus, vt pro Cæcinna, pro Quinctio, pro Roscio Comœdo Iulius Cæsar in Commentarijs, & Terentius & Plautus, poëtæ comici.* Medium, *seu mediocre siue æquabile dicendi genus est, quod constat ex humiliore quidem,*

Triplex orationis genus, seu tres species, & quasi figuræ dicendi: quarum exempla vide lib. 4. ad Heren.

Humile in rebus tenuibus versatur.

Mediocre in mediis.

dem, quam illud sublime, sed non infima tamen aut peruulgatissima verborum dignitate, plurimum suauitatis habens, cui omnia dicendi conueniũt ornamenta, tropi & schemata verborum, & sententiarum lepida & iucunda, non illæ vehementiores figuræ dicendi, quæ sublimi generi tribuuntur. Conueniunt & sententiæ suaues atque ornatæ, & locorum communium erudita & suauis explicatio. Comparatur autem hæc suauitas præter alia, numeris, compositione, & concinnitate. Ac de numeris & compositione, ac iunctura verborum infrà dicetur. Concinnitas in verborum & sententiarum ornamentis posita est, maximeq; relucet in illis schematibus. vt in Orat. Cic. docet; quibus paria paribus reddũtur, contraria contrarijs opponuntur, & casus in exitu similes sunt. Vitium huius generis fluctuans & dissolutum appellatur, quod sine neruis & articulis huc illuc fluctuat: humilemq; fugiens figuram, nimiùm assurgit: aut inflatum & tumidum vitans, humi serpit. Vtitur mediocri genere Cicero in Oratione pro lege Manilia: post reditum ad Quirites, & in Senatu, pro M. Marcello, pro L. Cornelio Balbo. Sublime, *seu grande genus est, quod constat verborum grauium & sublimium ampla atque ornata constructione, figuris amplificatum grauibus ac vehementibus interrogationibus, exclamationibus, prosopopæis, apostrophis, articulis, repetitionibus, commorationibus, grandibus metaphoris & affectibus ac-*

Sublime in rebus grauibus.

commo-

cõmodatũ, & plenissima cõpositione. Qualis ferè Ciceronis dictio est in oratione pro Rabyrio, pro Milone, in Catilinã prima, in Antoniũ II. in Verrem, in Pisonẽ, cuius vitiũ est turgidum & inflatum, atq; verborum insolentiâ horridum. Primo generi propositum, est docere. Secundo, delectare. Tertio, animos cõcitare. Ex his tribus generibus maximè spectatur Eloquentia. Is enim, inquit Cicero, eloquens est, qui humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria moderatè potest dicere: hoc est, vt idem scribit, qui ad id, quodcunq; decebit, poterit accõmodare orationẽ: Et ita dicet, vt rebus ipsis par & æqualis sit oratio. Res igitur magnæ, vt heroicæ & tragicæ, sublimitatem atq; grauitatẽ: humiles, vt plebeæ & comicæ, subtilitatẽ: mediocres mediocritatẽ requirunt. Atq; hoc illud est: de quo multa Cicero scribit: aptè dicere, decorum in dicendo obseruare: vt rebus & personis apta sit & cõgruens oratio. Admonendũ hîc illud videtur, cùm dicimus orationes Ciceronis aliàs in attenuato genere, aliàs in mediocri, aliàs in sublimi versari, id ex earum inter ipsas comparatione dici, qua rebus ita postulantibus alia grauiore, alia subtiliore dictione tractat: cùm nulla ferè sit oratio, in qua nõ omnia hæc dicendi genera interdum reperiantur: Vt in exordio ferè mediocre, in narratione attenuatum, in cõfirmatione & refutatione plerumque subtile, sæpè etiam graue: Sed in peroratione ferè vehemens illud genus ad excitandas grauiores

Quis eloquens? Is erit, qui poterit parua summisse, modica tẽperatè, magna grauiter dicere. Cic. in Ora.

Quid aptè dicere?

Miscẽri genera dicendi Ci. in Orat. At hæc, inquit, interdum temperanda & variãda sunt.

Quid igitur in accusationum vij. lib. non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelij? quod in plurimis nostris defensionibus? &c.

uiores animi perturbationes adhibetur. Verùm cùm nihil similitudinis tædio sit molestius, artificiosè, rebusq; congruenter illa dicendi genera misceri solent, vt humilia subtiliter atq; perspicuè, magna & mediocria pro dignitate dicãtur: qua varietate mirificè recreatur animus auditoris. Elocutionē *omnẽ tribus ex rebus constare traditum est: Elegantia, Compositione, & Dignitate.* Elegantia *facit, vt vnumquodque purè & apertè dici videatur.* Compositio, *vt distinctè.* Dignitas, *vt ornatè, & ad rerum dignitatem aptè & quasi decorè. Elegantia grammaticorum propria est, qui curant, vt Latina & perspicua sit oratio: sine qua nulla esse potest orationis exornatio. Est enim, vt Aristoteles scribit in tertio Rhetoricorum libro, caput atq; initium Elocutionis, emendatè loqui. Quoniam autem eloquentia constat ex verbis & sententijs, perspiciendum est, vt verba, quibus vtaris, vsitata sint, & significantia, & propria, ex quibus oratio pura & emendata componatur.* Latinam *efficiemus orationem, si purum illum Ciceroni similibusq; scriptoribus Romanis vsitatum sermonem conseruemus: eaq; fugiamus, quæ Latinitatem vitiant: qualia sunt, Barbarismus, Barbara lexis & Solœcismus.* Barbarismus, *est verbum contra Latinæ linguæ præcepta vitiosè scriptum aut pronuntiatum, quod fit quatuor modis: adiectione, detractione, immutatione, & transpositione, vel literæ, vel syllabæ, vel temporis, vel toni, vel aspi-*

Elocutionem diuidunt in elegãtiam, compositionem & dignitatem, quibus efficitur vt latinè, vt planè, vt ornatè, vt ad id quodcunque agetur, aptè congruenterque dicatur. lib. iii. de Orat.

Ratio puri dilucidique sermonis prima esse debet. Fugienda vitia, Barbarismus, Barbara lexis, solœcismus.

Barbarismus.

aſpirationis: verſaturq; in orthographia & proſœdia, de quo lege Donati libellum, qui cætera quoq; vitia perſecutus eſt, quibus deinde figuras Grammaticas & tropos adiunxit. Barbara lexis, Barbara & peregrina dictio, vt, bladum pro frumento, recompenſo pro compenſo, &c. Vtrunque vitium eſt in verbis ſingulis. Soloeciſmus autem eſt in coniunctis, vitium Latinæ conſecutionis, quod fit immutatione generum, caſuum, numerorum, perſonarum, temporum, qualitatis verborum, modorum, &c. Nam vt in ſimplicibus verbis, inquit Cicero, quod non eſt Latinum, ſic in coniunctis, quod non eſt conſequens, vituperandũ eſt. Perſpicuam efficiemus orationem & apertã, ſi verbis vſitatis, & proprijs eius rei, qua de agimus, vtamur, & quæ perſpicuitati & rectæ compoſitioni aduerſantur, vitia fugiamus: qualia ſunt ἄκυρον & acyrologia, quæ non vtitur propria verbi ſignificatione, vt, ſperare, pro timere: & promittere, pro minari. Virgil. promiſi vltorè. & contrà, minari, pro polliceri. Hora. II. Serm. Satyr. iij. Atqui vultus erat multa & præclara minantis. Amphibologia, quæ ſenſum dubium facit, & multis modis fieri poteſt. Eclipſis, defectus, quam inter figuras grammaticas explicabimus. Brachylogia, breuior quàm oporteat, & conciſa nimis oratio. Contrarium vitium eſt Macrologia. Sed meritò laudatur breuitas integra, quæ inter virtutes orationis annumeratur, cùm dilucidè multa paucis complectimur.

Barbara lexis.

Sœleciſmus eſt oratio inconſequens, vt ait Comminianus, teſte Soſipatro.

Quæ ſit oratio perſpicua.

Quæ vitia, Obſcuri ſpecies, Ακυρον non proprium.

Αμφιβολία.

Ἔκλειψις.

Βραχυλογία.

Μακρολογία.

plectimur. Hoc male imitantes sequitur obscuritas, vt Quinct. ait lib. 8. cap. 3. Hyperbaton est ordinis perturbatio, & Syncheſis confuſio, cùm omni ex parte verborũ ordo perturbatur. Virg. Treis notus abreptas in ſaxa latentia torquet, Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras. Verborum in his verſibus ordo eſt: Notus torquet tres ſcilicet naues abreptas in ſaxa, quæ ſaxa latentia in mediis fluctibus Itali vocant aras. Hor. Namq; pila lippis inimîcum & ludere crudis. Ordo eſt. Ludere pila eſt inimicũ lippis & crudis. Ανοικονόμητον malè collocatum, cùm nil rectè & ſuo loco diſpoſitum eſt. Et vt cætera pergam enumerare vitia & compoſitionis & dignitatis, quæ referuntur omnia ad capita tria, Barbarum, Obſcurum, & Inornatum, cùm de duobus dictum ſit, nunc de poſtremo dicendum eſt. Inornatum vocatur, cùm ſua verbis abeſt dignitas, atque elegantia ſeu ornatus. Eius genera ſunt hæc: Pleonaſmus, quo ſuperuacuis oneratur verbis oratio, vt, Ore locuta eſt. Periſſologia, ſuperuacua locutio, qua ſine rerum pondere adijcitur aliqua ſententia. Eadem vel certè maximè cognata videtur eſſe Macrologia, longior, quàm oporteat ſermo, vt apud Liuium: Retro domum, vnde venerant, abierunt. Tautologia, eiuſdem verbi aut ſermonis iteratio, vt, Egometipſe, &c. Periergia, ſuperuacaneum labor, & mala ac ſtulta copiæ conſectatio. Tapinoſis, qua rei dignitas verbi humilitate deprimi-

Τπερβατον. Συγχησις.

Ανοικονομητον. Compoſitionis & dignitatis vitia referuntur ad tria capita, Barbarum, obſcurum, & inornatum. Inornatum conſtat verbis ſuperuacaneis, indignis, ineptè grandib. vel humilibus & malè collocatis.

Πλεοναſμος

Περιτολογια.

Μακρολογια.

ταυτολογια.

Περιεργια.

ταπειγωσις.

tur,

tur, vt, verruca montis, pro cacumine montis à M. Varrone posita, teste Gellio. Virg. In gurgite vasto, pro in mari. Meiosis, oratio tenuior magnis rebus accõmodata. Contraria μειώσει est πομφολο- Μειωσις
γία, cùm res tenues oratione tumidiore efferun- Πομφολογια.
tur. Asiatismus, est inane rebus orationis genus. Ασιατισμος.
Cacemphaton, siue Cacophaton, siue Æschro- Κακεμφατον.
logia dicitur, cùm in obscenum intellectum de- Κακοζηλια.
torquetur sermo: vt, Arrige aures Pamphile. Vel cùm iunctura dure cohæret. Virgilius: Numerum cum nauibus æquat. O fortunatam natam. O Tite tute Tati. Cacozelia, peruersa æmulatio: vt si quis iudicio carens id consectetur, cui par esse non possit: vel imperitè, quod vitiosum est, tanquam si elegans sit, aliquid imitetur, boni specie deceptus. Aschematiston, id est malè vel ineptè figuratum, figuris carens. Huic non dissimilis est Aσχηματον.
Hemœologia, cùm tota est vnius coloris ora- Ομοιολογια.
tio, nulla varietate aut suauitate fastidium leuans. Contrarium vitium ποικιλογία, nimiùm de- ποικιλογια.
picta: &, in qua nihil rectum aut proprium sit, oratio, qualis est fermè sermo Apuleij, & eius imitatorum. Soraismos, inepta quædam ser- σωραϊσμος, seu
monis coaceruatio ex varijs idiomatibus apud χρινισμος.
Græcos; & apud nos ex verbis Barbaris & Latinis, propriis, & impropriis, obsoletis & nouis, figuris poëticis & oratorijs. Hæc vitia tradita sunt, aliáque nonnulla, vt cognita faciliùs euitentur. Compositio est verborum apta & Compositio complectitur iunctura, ordinem, & numerum.

cõcinna ſuauiterq; numeroſa conſtructio, quâ leuis, æquabilis ſuisq; modulis perpolita fluat oratio. Eius tres ſunt partes; iunctura ſeu coniunctio, ordo, & numerus. Hac compoſitione quanquam Oratores vtantur potiſſimùm, negligentiùs verò cæteri ſcriptores; præſertim in epiſtolis, & ſermone familiari, ac diſputationibus philoſophicis: communis tamen omnium eſt apta verborum conſtructio, quâ leniter ingrediatur, ac nuſquam offendat oratio: In qua præcipitur, vt caueatur primùm crebra vocalium concurſio: deinde eiuſdem literæ, aut ſyllabæ, aut dictionis vel initio, vel in fine frequentatio: & inſuauis ac ſibilans literæ, S, geminatio. plurium vel longarum vel breuium ſyllabarum, vel monoſyllabarum continuatio: poſtremò inconcinna verborum traiectio, & ordo perturbatus. Præcipitur & illud cauendum, ne decreſcat oratio, ne grauiori leuius aliquid ſubijciatur. Augeri enim & inſurgere debent ſententiæ. Traditur hoc quoq;, vt, ne turbetur naturalis rerum ordo, viros ac fœminas, diem ac noctem, ortum & occaſum dicas potiùs, quàm retrorſum. De vocalium concurſione, quando non ſemper ea vitari poteſt, id admonendum eſt, non ſolùm vt aurium conſulamus iudicium, quod primum eſt, verùm etiam, quas Cicero vocales ſæpiùs, quas rariùs coniungere ſoleat, obſeruemus. Rarò coniunxit, a & e, a & i, o & e, o & i, a & v, a & a, quæ inſuauem ſonum efficiunt, vaſtum & hiantem.

Compoſitio communis.

Iunctura.

Ordo.

De vocalium concurſione, quæ refertur ad iuncturam.

Paulò

Paulò sæpiùs ille coniunxit e & a, i & a, e & o, i & o, v & a, quæ sonant suauiùs. Spectatur & in singulis litteris cùm vocalibus tum consonantibus vel amplitudo soni, vel tenuitas, vel asperitas. Ex vocalibus a & o, clarissimè & plenissimè sonant; e & v, tenuiter, i omnium tenuissimè. Ex consonantibus amplè sonant b, m, p, asperè r & x, atq; etiam f. clarè l & n, cùm vel subijcitur l his litteris, c, f, g, p, vel in fine ponitur, & n, in fine & in initio: leniter l præcedens vocales, tenuiter geminatum, & n in medio, & t, d, ſ, z, cæteræ mediæ censentur. Compositio rhetorica facit, vt leni cursu, facilíq; lapsu profluat oratio, quibusdam quasi vinculis potissimùm membrorum partes numeris astringens. Hæc duabus in rebus posita est, periodis & numeris. Periodus est oratio, *quæ plenam aliquam, & aptè cohærentibus inter se partibus perfectam, numerisq; congruentibus adstrictam sententiam suo ambitu complectitur, velut ex antecedente & consequente conclusam argumentationem, hoc modo: Si, quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tantũ in foro atq; in iudicijs imprudentia valeret: non minùs in causa cederet Aul. Cecinna Sex. Ebutij impudentiæ: quàm tum in vi facienda cessit audaciæ. Periodi partes præcipuæ sunt commata seu incisa, & cola, seu membra.* Comma, *pars est orationis nondum quicquam absolutè significans, ex duobus aut pluribus verbis cõstans: quale est, Etsi vereor iudices.*

Compositio Rhetorica periodos & numeros complectitur.

Periodus.

Partes periodi. Ex Aquila Romano.

Comma est pars membri.

Colon pars periodi.

Colon, *perfectè quidem aliquid significat, sed iustam nõ absoluit periodũ: & suspendit magis, quàm perficit sententiam hoc modo: Etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere: Quemadmodum autem Colon interdum, si breue sit, comma nominatur, itémque contrà, si comma longum sit, coli nomen accipit: ita si colon periodi pars nõ sit, sed ipsũ per se perfectã sententiam reddat, periodus appellabitur, seu monocolos, seu simplex.* Colon duplex

Colon duplex.

constitui potest, vnum perfectum, alterum, quo perficitur antecedens, & duobus punctis paribus notatur (:) alterum imperfectum, quo non absoluitur antecedens, & punctis imparibus signatur, sed inferiori commatis nota (;) Constat ambitus ex mẽbris minimum duobus, aliàs tribus, nonnunquam quatuor, atque etiam interdum pluribus. Cicer. in Orat. E quatuor quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat ferè plena comprehensio. *Et, vt scribit Demetrius Phalerius in lib. de Elocut. Ex ambitibus iis quidem qui sunt minores, ex duobus membris constituuntur: maximi verò ex quatuor. Sunt etiam, qui tribus membris; sunt qui vno, continentur, quas simplices continuationes appellamus. Periodis autem non semper omnibus q̃; locis vtimur, sed, vt Quinctil. docet, in proœmijs potissimùm, in laudibus ac vituperationibus, in locis cõmunibus, in amplificationibus, in epilogis. In medio dicendi genere artificio-*

Quando periodis vtendum, & quibus.

sa

ficiosæ plerunque sunt & longiores periodi, vt etiam in exordijs orationum Ciceronis. In graui sunt item artificiosæ, sed minùs longæ, & in hoc plura membratim & cæsim, quàm in illo dicuntur. In subtili liberiores sunt ac breuiores, & membratim ac cæsim magnâ ex parte tractatur oratio. Vehementes affectus & acriores contentiones, crebris incisis & membris efferuntur. Et narrationes aut membris aut periodis laxioribꝰ. Sed, quod in omnibus obseruari debet, hic vitanda satietas est: ne frequentia periodorum fastidium pariat, aut cæsa vbique oratio scriptoris imperitiam arguat. Quare suo quæque loco permista pro conditione rerum accommodentur. In epistolis familiaribus (nam epistolæ interdum grauia tractant argumenta) in dialogis & philosophorum disputationibus rariores sunt periodi, frequentia cola & commata, quibus sermo quoq; familiaris ferè constat. Numerus *oratorius est certa quædam temporis in syllabis obseruatio, modulis quibusdam astringens orationem. Sed hic à poëtico numero seu versu plurimùm differt. Versus enim certum habet ordinem & finita spatia: numerosa autem oratio similis est numerorum, non planè è numeris constans, sed maximè à versu, quo nihil est in oratione soluta vitiosius, abhorrens.* Adhibetur *numerus potissimùm in principijs, nonnunquam & in medijs, maximè verò in clausulis. Pedes vno in loco ferè non plures tribus,*

In tenui dicendi genere numeri & periodi minus obseruãtur: satis est, si non vagetur, aut nimis dissoluta sit oratio.

De numeris vide Cic. in Orat.

Qui pedes in medijs.

nec pauciores duobus obseruantur. Medijs in partibus minùs obseruantur pedes : in his amplissimi sunt, pæan primus -vvv, & quartus vvv-, creticus -v-, bacchius v--, dochimus v--v-, Pedes à Cic. principijs orationis, atque etiam comprehensionum & membrorum fere dantur ; spondeus --: dactylus -vv : anapæstus vv- : creticus -v-: pæan primus -vvv : amphibrachys v-v : molossus --- : dochimus v--v- : iambus orationis initio, quia numerũ habet humiliorẽ, non congruit; sed periodis & colis adhiberi potest. In clausulis ab eodẽ maximè probati sunt dichoreꝰ seu ditrochæꝰ -v-v (cui creticus optime ꝑponitur vel bacchius v--: vel spondeus inconcinnè tribrachys, nõ rectè dactylus, ne desinat in sapphicum) pæan primus & spondeus, seu dactylus cum bacchio -vvv--: creticus iteratus -v--v- : vel creticus cum dactylo -v--vv. Communis enim censetur vltima cuiusq; clausula syllaba. bacchius v-- : creticus -v-: choreus cum molosso, siue creticus cum spondeo -v---: spondeus & bacchius --v--: dochimus qui constat ex bacchio & iambo, siue iambo & cretico v--v-d'ispondeus---- si præcedat choreus, qui numerus grauitate plenus iudicatur. Sed cauendum est, *ne nimis numerosa videatur oratio ; néue deprehendatur affectatio ; tum, ne similitudine & continuatione fastidium pariatur : quod vt euitetur, permiscendi pedes sunt, & grata vtendum est varietate, sed aurium semper adhibito iudicio, & pro diuerso orationis*

Qui pedes in principijs.

Qui pedes in clausulis.

Vltima cuiusque clausulæ syllaba censetur communis, vt in Oratore Cicero docet.

Adhibendum est aurium iudicium, sed principum Oratorum lectione diligẽter informatum.

genere

genere vel angustæ & concisæ, vel collocatæ & diffusæ, numeri quoque vel angustiores, ac demissiores, vel grandiores ac sublimiores quærendi sunt. Cùm enim tria sint dicendi genera; tenue, sublime, & mediocre. Tenui *conueniunt maximè iambus, choreus, tribrachys, molossus, dijambus, antispastus, qui constat ex iambo & choreo, choriambus, dichoreus.* Sublimi *pæon, creticus, bacchius, palimbacchius, coniuncti dactylus & bacchius, creticus & spondeus, siue choreus.*

Medio *præcipui tribuuntur dactylus, spondeus, anapestus, scolius seu amphibrachus, constans è breui longa, & breui, dichoreus, antispastus, choriambus, ionicus maior --vv & minor vv--. Cumq; pedes sint alij alijs celeriores & tardiores, nec eodē modo fluere debeat oratio, sed vt rebus ipsis par & æqualis sit, aliàs incitatiùs, aliàs tardiùs; & contentiones, vt Cic. docet in Orat. cursum requirant ac celeritatē; expositiones ac narrationes tarditatem: intelligendum est, eam non solùm in pedum breuitate vel tarditate, verùm etiam periodorum spectari.* Sed hîc admonendum est, *quod eodem libro Cicero præcipit; vt ita pedes hi inter se misceantur ac temperentur, ne delectationis aucupium, & quadrandæ orationis industria possit animaduerti: Vt enim nimia eorum negligentia, ita nimia cura & solicitudo vituperari solet. Non benè claudunt duo pyrrichij, iambus & pyrrichius vel dijambus anapæ-*

Vt curiositas ita negligentia vitanda est. Inconcinnæ clausulæ.

anapæstus & spondeus, tribrachys & molossus. Cur malè claudant duo dactyli, itemq; dactilus & spondeus, ea causa est, quod illi in Asclepiadeum desinant, hi in heroicum, qui versum etiam efficiunt Adonium. Nec probantur in clausulis plures syllabæ breues, nec satis gratus est eruditorum auribus anapæstus. Permistio verò longarum breuiumq; syllabarum grata est, ea præsertim in qua dominentur longæ: vt hîc: More maiorum: Timendum fuisse cognouit: Esse videbatur. Obseruatum hoc quoque est viris eruditis, longiores periodos à Cicerone polysyllaba ferè dictione claudi, magisq; verbo, quàm nomine, & ex nominibus adiectiuo potiùs (vt vocant Grammatici) quàm substantiuo.

De dignitate.

Dignitas est, *quæ ornatam reddit orationem, & grata varietate distinctam. Constat ex verborum & sententiarum ornamentis, quibus præter vulgarem consuetudinem expolitur oratio, efficiturq; iucunda, illustris, copiosa, & grauis. Hæc dicitur &*

Quid figura Fab. lib. ix. cap. j.

Exornatio, *quam definit Fabius arte nouatam dicendi formam, quæ diuiditur in tropos & schemata, quæ propriè vocantur figuræ: & quoniam dignitas omnis est ex verbis, magnus verborum delectus adhibendus est. Ea sunt vel propria, vel translata, vel nouata. Propria, sunt vel vsitata, vel inusitata. Vsitata porrò sunt, vel abiecta & vilia ac sordida, vel delecta ac grata doctis & splendida. Inusitata sunt alia penitus reiecta, alia rariùs, & interdum cum laude certis in locis vsurpata,*

ſurpata. Nouata verba non temerè vſurpabimus niſi à veteribus accepta, nec ea niſi ſuo loco adhibenda. Tranſlata verba plurimùm illuſtrãt orationem, de quibus vide caput de Tropis. Ex- Figurarum ordines.
ornationum autem, *ſeu figurarũ tres ordines conſtituuntur : quorum primus ad verborum exornationes pertinet : ſecundus ad ſententias, & orationem figurandam : tertius ad amplificandam, atque augendam. Primus complectitur ſchemata* λέξεως : *Secundus & Tertius* διανοίας. *Primum Grammatici explicant, quo Tropi continentur & Schemata. Ac de Tropis dicemus primùm, qui latè & variè per omnes Schematum ordines ſæpè diffunduntur.*

- Figuræ
  - Tropi in
    - Verbis
    - Oratione
  - Schemata ſeu figuræ
    - Verborum ſeu λέξεως
      - Grammaticæ.
        - Singulorum.
        - Coniũctorũ.
      - Rhetoricæ.
        - Singulorum.
        - Coniũctorũ.
    - Sententiarum διανοίας : quarum aliæ.
      - Exornant tantùm.
      - Augent etiam.

De

De Tropis seu modis.

Tropos, immutationes. Latinè Cic vocat & modos, vnde modificata verba & inflexa dicuntur.

TROPVS *est verbi vel orationis à propria significatione ad similem aut vicinam, cum quadam venustate, translatio.* Duplex est tropus, *verborum vnus, alter orationis: in illo mutatur vnius verbi in oratione significatio, in hoc plurium.* In verbis sunt hi tropi: *Metaphora, seu translatio: Metonymia, seu denominatio: Metalepsis, seu transumptio: Synecdoche, seu intellectio: Antonomasia, seu pronominatio: Catachresis, seu abusio. His adiecerunt* Onomatopœiam *seu nominis confictionem, ac veluti procreationem. Verùm hæc non in verborum cohærentia, quod troporum proprium est, spectatur, sed in singulis verbis: nec in his mutatur significatio, sed nouæ rei nouum inditur nomen: vt, Taratantara, clanglor tubarum: Bombarda, pro tormento bellico, quod nouum & durum verbum est. Sed vetera & recepta sunt hæc: grunnitus, mugitus, mugire, cornicari, patrissare, aliáque multa, quæ vel per similitudinem, vel per imitationem soni, à veteribus ficta reperiuntur, non temerè noua nunc fingenda sunt, in quibus Græci Latinis longè sunt feliciores.*

Tropi verborũ.

Onomatopœia Nominatio dicitur lib. iiij. ad Her.

Μεταφορὰ seu translatio.

Metaphora seu translatio dicitur, *cùm verbum à propria significatione, ad aliam non propriam per similitudinem transfertur; vt, molestiam deuorare, pro perferre; videre, pro intellegere, &c. Inuenta est*

Cur inuenta sit translatio.

ta est primùm translatio necessitatis causa, veluti cum dicuntur vites gemmare, fructus laborare, lætæ segetes, luxuriosa frumenta, homo durus. Deinde adhibita est non tantùm, vbi proprium deesset verbum, verùm etiam, vbi translatum vel significantius esset, vel grauius, vt, ardere cupiditate, incensus ira. Vel ornatus & delectationis causa; Vt, lumen orationis, procella temporis, tempestas pacis, seges ac materia gloriæ, flos ætatis. nihil hoc tropo in omni scripti genere frequẽtius est. Huc illa referri potest imago seu rei similitudo, quæ comparandi vocibus effertur, quales sunt, similis, alter, tanquam, sicut, velut: vt, Tauro, vel leoni similis: vt leo saeuit: sicut Taurus. Minutis interrogatiunculis & quasi punctis. In scholam, tanquam in pistrinum, detrudi. Imagines apud Oratores breuiores sunt, apud poëtas copiosiores & frequentiores. Metonymia, seu denominatio est, qua res vna per aliam vicinam intelligitur, veluti per causas effecta: vt Bacchus, pro vino: Venus, pro libidine: Mars, pro bello. Liuius, vario Marte pugnatum est. Cicero, pro libris ab eo conscriptis. Christus, pro veritate, quam in lucem protulit. Vel per effecta causæ efficientes: vt, pallida mors, tristis senectus, cæca ira. Sic & materia pro re confecta, vt ferrum, pro gladio: aurum, argentum, æs, pro pecunia. Vel per id quod continet, res quæ continetur: vt Roma, pro Romanis, Cœlo gratissimus amnis, pro cœlitibus.

Translationem genuit necessitas, inopia coacta, pòst autẽ delectatio, iucũditásque celebrauit.

Imago.

Μετονυμία. Denominatio.

1.

2.

3.

4.

Spuman-

Spumantẽ pateram, pro vino. Itemq́ contrà; vt, Vina coronant, i. pateras. Hunc tibi comedendũ propino. De ſene guſtare, id eſt, de pecunia ſenis,
6. *apud poëtas. Vel per ducem milites: vt, Cæſus*
7. *Annibal. Vel per ſigna res ſignatæ: vt, faſces &*
8. *ſecures, pro imperio conſulari: toga, pro pace. Vel deniq; ſubiecta per adiuncta: vt, ſcelus, pro homine ſceleſto.* Metalepſis, *ſeu tranſumptio, vt Quinctil. vertit, figura poetica eſt & rara, cum gradatim itur ad id, quod ſignificatur, & ex effectu cauſa intelligitur: vt, Speluncis abdidit atris. hic ex nigrore res tenebroſæ, & ex tenebris profundæ intelliguntur. Et, Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor, ariſtas: per ariſtas ſpicæ, per ſpicas meſſis: per meſſem æſtas, per æſtates anni intelliguntur.* Synecdoche, *ſeu intellectio, cùm vel totũ ex parte, vel partẽ ex toto ſignificamus: vt, mucro, pro gladio: tectum, pro domo: ridiculũ caput, pro homine. Liui. Romanus prælio victor, pro Romanis victoribus. Cic. Nos populo impoſuimus, & Oratores viſi ſumus; cùm de ſe tantũ loqueretur. Greges armentorum, pro magno grege. Et in ſacris litteris, Græci pro Ethnicis, ac paganis. Fontemq́ ignemq́ ferebant; id eſt, partem aquæ fontanæ, & ignis. Vel ex ſpecie genus, apud poëtas: vt, Iracundior Hadria, pro quouis mari: Auſter, pro vento. Deniq; cùm aliud ex alio quoquo modo intelligitur; vt, Virgineam ſoluit zonam; pro, virginitatem violauit: vixerunt, pro mortui ſunt. Fuimus Troës: fuit Ilium,*

Μεταλημψις ad Metonymiã referri poſſit. Nam effectus hic longius cauſam ſignificat, ibi breuiùs. virg. Ecl. j.

Συνεκδοχη.

&

& ingens gloria Dardanidum, id est, perijt. Huc referatur Antonomasia, seu pronominatio, cùm aliquid pro nomine ponitur, veluti proprium pro communi: vt, Sardanapalus, pro molli: Curius, pro homine frugi: Cato, pro graui & sapiente: Epicurus, pro voluptario: Aristides, pro iusto: Crœsus, pro fortunato: Irus, pro paupere: Thersites, pro deformi: Venus, pro formosa: sic Pœnus accipitur pro perfido: Cretensis pro vano & mendace: Cares, pro vilibus militibus. Vel commune, pro proprio: vt, Poëta, pro Homero apud Græcos, & apud nos pro Virgilio: Orator & Romanæ eloquentiæ princeps, pro Ciceronе: Seruator aut Dominus, pro Christo Iesu liberatore nostro. Vel patronymicum loco proprij, apud poëtas: vt, Pelides aut Æacides, pro Achille. Sic pro Ioue, Saturnius. Vel possessiua patria; vt, Cytherea, pro Venere: Cyllenius, pro Mercurio: Andria, pro Chryside. Vel definitio, aut descriptio, aut notatio pro verbo ponitur; vt, diligens differendi ratio, pro Dialectica: Troiani belli scriptor, pro Homero: studium sapientiæ, pro Philosophia. Huc retulerunt quidam Epitheta, quæ dicuntur adiectiua, (Cicero ea vocat addita ad nomen, & ad nomen adiuncta) quæ proprio nomini, vel substantiuo apponuntur; vt, diuinus Plato, mobile vulgus. De quibus id admonendum est, ne adhibeantur otiosa in oratione soluta (quod in carmine permitti solet; vt candida nix, liquidi

Antonomasia. Pronominatio, qua proprium nomen, vel huic proprietas inhærens pro communi ponitur. Et à metonymia differt, quod metonymia fit rerum, antonomasia plerunque personarum.

1.

2.

3.

4.

5.

Epitheton.

liquidi fontes) sed ea, quæ necessaria sunt, vel significantia. Epitheton autem, quia nihil vertat, non video quomodo tropus dici possit. Catachresis Abusio. *chresis quoque, seu abusio videtur, eodem referenda, quæ verbo simili & propinquo, pro certo & proprio abutitur: vt, Parricida, pro eo, qui matrem aut fratrem, aut aliquem propinquum interfecit. Vir gregis, ipse caper. Et: Equum ædificant: Vires hominum breues: Grandis oratio. Minutus animus, pro paruo. Vir magnus, pro eo, qui ingenio & magno animo ac virtute præstat. Equitare in arundine longa. Cogimur hac vti figura, deficiente nomine. Quanquam ea nonnunquam vtantur Oratores de industria, vt cùm pro temeritate, fortitudinem; & rursus pro auaritia, frugalitatem, extenuandi causa, dicunt. Sed in his non verbum pro verbo, sed res pro re ponitur. Additur* Acyrologia, Ακυρολογια *quæ est verbi significatio non propria; vt sperare, pro timere. Terent. Accede ad ignem hunc, iam calescès plùs satis; hoc est, ad meretricem. Sed hanc suprà inter vitia numerauimus. Item* Antiphrasis, Αντιφρασις *verbum è contrario significans; vt, bellum, quòd minimè sit bellum, lucus, quòd in eo minimè luceat. Parcæ deæ, quòd nemini parcãt: Et, si nanum vocemus Atlantem.*

Tropi orationis Tropi qui spectantur in tota sententia, *ponuntur à veteribus: Allegoria, Paræmia, Ænigma, Ironia, Asteismos, Diasyrmos, Charientismos, Mimesis, quibus addiderunt & Periphrasin*

phraſin & Hyperbolen. Allegoria, *permutatio ſeu inuerſio eſt; cùm aliud dicitur, aliud intelligendum eſt. Siue, oratio, quâ aliud verbis, aliud ſenſu (quod tamen non ſit diſſimile) ſignificatur. Terent. Quem lupo commiſiſti. Virg. Et iam tẽpus equûm ſpumantia ſoluere colla; hoc eſt, carmen finire. Lupus eſt in fabula. Flamma fumo proxima. Mali corui malum ouum. Hæc ſi vulgo trita ſit, & in omnium ore verſetur ſententia.* Paroemeia *dicitur, ſeu* prouerbium, *ſeu* adagium, *quod* ERASMVS *definit, dictum celebre, ſcita quapiam nouitate inſigne. Admonet Quinctilianus de metaphora & allegoria id inprimis eſſe cuſtodiendum; vt quo ex genere cœperis tranſlationis, in hoc deſinas, ne cùm initium à tempeſtate ſumpſeris, incẽdio aut ruina finias,* Aenigma, *obſcura eſt allegoria, & occulta rerum ſimilitudine inuoluta ſententia; vt, Dimidium plus toto, Virg. Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Treis pateat cœli ſpatium, non amplius vlnas? Vbi cariſſimè venditur aqua? apud œnopolas. Vbi viuos homines mortui incurſant boues? In piſtrino, apud Plautum.* Ironia, *diſſimulatio quædam eſt, & contrarium verbis indicat. Cic. in Verrem: Quid ais, bone cuſtos defenſorq; prouinciæ? Virg. Scilicet is Superis labor eſt. Et, Egregiam verò laudem. Terent. Id populus curat ſcilicet. Virg. I nunc ingratis offer te irriſe periclis, Tyrrhenas i ſterne acies. Ironiæ numerantur formæ quatuor:*

Αλληγορια eſt oratio, aliud dicens, aliud ſignificans, & continuatio tranſlationum.

Prouerbium ſeu Adagium.

Lex tranſlationis.

Αἴνιγμα.

Εἰρωνεία. Diſſimulatio, ſeu irriſio.

Quatuor ſpecies Ironiæ.

Σαρκασμός. Sarcaſmos, Aſteiſmos, Diaſyrmos, Charientiſmos. Sarcaſmos, eſt amarus iocus, & hoſtilis irriſio. Virg. En agros, & quam bello Troiane petiſti Heſperiam, metire iacens. Cic. pro Calio: Quod facerem vehementiùs, niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratre volui dicere, ſemper hîc erro. Aſteiſmos, urbanus & facetus iocus longiùs petitus. Virgil. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui: (hoc eſt, qui Bauium malum poëtam amat, etiam Meuium illo peiorem amare poterit) Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos (hoc eſt, abſurdè agat.) Diaſyrmos eſt irriſio, cùm ludentes quæ ab aduerſarijs dicuntur diſſoluimus. Qualis eſt in oratione pro Muræna totus ille in Sulpicium locus de iure ciuili. Charientiſmos, cùm dura gratioſis verbis molliuntur: ſic mitigare ſolemus iratos, vt Dauus herum, cùm piſtrinum deprecaretur: Bona verba, quaſo, inquit. Huc illa ſignificationis mutatio pertinet, cùm pro ſeruo puerum dicimus. Mycteriſmos, cum naſo ſuſpenſo deridemus, ac faſtidimus, idq; magis geſtu, quàm verbis. Mimeſis, cùm alterius geſtum aut verba imitamur, vt Phædria apud Terentium actus i. Scena ij. verba Thaidis eludens atque eleuans repetit. Huc referri poſſunt apologi & fabulæ poëtarum, quarum interpretatio Mythologia dicitur. Annumerantur quoq; tropis, Periphraſis & Hyperbole. Periphraſis, vulgò circumlocutio, eſt longior verborum

Ἀστεισμός.

Διασυρμός, cùm rei aut perſonæ alicuius auctoritatem eleuamus.

Χαριεντισμός.

Μυκτηρισμός.

Μίμησις.

Περιφρασις Circuitio.

verborum circuitio, quæ vel necessitatis causa adhibetur, aut vt turpia vitentur, quale est, ire ad requisita naturæ, pro cacare & meiere: aut vt res, cuius nullum extat nomen, significetur: Vel ornatus apud poëtas, vt, Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris Incipit, & dono diuûm gratissima serpit. Quòd si Periphrasis orationi vitium magis, quàm elegantiam adferat, Perissologia dicetur. Hyperbole *siue superlatio, est oratio superans veritatem, alicuius augendi minuendiue causa. Virgil. Fugit ocyor Euro. Et: Vix ossibus hærent. Et, Geminiq́ minantur in cœlum scopuli. Cic. Vomens, frustis esculentis gremium suum & totum tribunal impleuit. Per Emphasim dicuntur hæc, scelus, pestis, carcer, pro scelesto, pestilenti, & carcere digno: niue candidior, limace tardior, Proteo mutabilior, Cyclope immanior, Thrasone gloriosior, Catone seuerior, Timone inhumanior, milite gloriosior. Vide Erasmum in Commentarijs de Copia. Cùm hæc recognoscerem; incidi fortè in Valentini Erithræi libros duos, vnum de figuris Grammaticis, alterum de tropis, qui de vtrisq́ scripsisse mihi videtur accuratissimè: dignus qui studiosè legatur.*

Υπερβολὴ ementiens superiectio. Fab. Sed huius rei seruetur mensura quædam. Quamuis .n. est omnis hiperbole vltra fidem, non tamen esse debet vltra modum: mentitur quidẽ, sed non ita, vt mendatio fallere velit. Fa. lib. viii cap. vltimo.

De Schematibus, seu figuris.

SCHEMA *vel figura propriè, est quædã arte nouata dicendi ratio, & quasi gestus quidam orationis, in quo [illegible] est, id quod in tropis*

Differentia schematum & troporum.

fieri

Schema duplex

quid inter conformationem verborum & sententiarum interfit. Cic. lib. 3. de Orat.

Schema λεξέως duplex.

fieri solet mutare vocum significationem. Schematum genera duo sunt, *vnum verborum seu* λέξεως, *alterum sententiarum seu* διανοίας. *Inter quæ hoc interest, quòd verborum conformatio, si verba mutaris, vel ordinem nõ seruaris verborum, tollitur: sententiarum permanet, quibuscunque verbis vti velis. Illa in vno sæpè verbo continetur: hæc totius sententiæ comprehensione. Est igitur figura* λέξεως *seu dictionis conformatio, & quasi gestus quidam orationis, qui in verbis est, seu verborum situ.* Hoc schematis genus duplex est, *Grammaticum, quod à Grammaticis tradi solet, & Rhetoricum, quod à Rhetoribus.*

De figuris grammaticis.

Grammaticum figurarum genus duplex, verborum singulorũ, & coniunctorũ.

Μεταπλασμος

APVD *Grammaticos figurarum genera duo sunt, vnum verborum singulorum, alterum coniunctorum: quorum superius poëtis concessum est, oratoribus negatum, quod in versu Metaplasmos dicitur, in oratione verò soluta Barbarismus. Posterius in consecutione spectatur, quod genus Grammatici vocant locutionis & constructionis, paulumq; à communi grammaticæ consecutionis siue syntaxeos ratione recedit.* Metaplasmus *dictus est, quòd afficiat & velut transformet verba, contra communem loquendi seu scribendi consuetudinem, eorumq; vel litteras, vel syllabas, vel quantitatem necessitatis, aut etiam ornatus causa in carmine immu-*

tet.

tet. Cuius ſpecies numerantur hæ: Proſtheſis, appoſitio, eſt litteræ vel ſyllabæ ad caput ipſius verbi adiunctio; vt gnatus, gnarus, gnauus, tetuli, pro tuli. Aphæreſis, detractio, eſt litteræ vel ſyllabæ de initio dictionis abiectio; vt ruit omna latè, pro eruit: temnere, pro contemnere. Sed mittere ſanguinem, pro, emittere, & mittere pro tacere & omittere, vſitata ſunt. Epentheſis, eſt litteræ vel ſyllabæ in medio verbi interpoſitio: vt relligio, nauita, ſimillimus, alituum, Mauors, cinctutus. Syncope, imminutio, eſt litteræ vel ſyllabæ è medio dictionis reiectio: vt, repoſtum: acceſtis, pro acceſſiſtis, exſtinxſti, pro extinxiſti. Sed noſti, pro nouiſti: redij, pro rediui, & quæ ſimilia ſunt, etiam in oratione ſoluta frequentantur. Vſitatiùs etiam dicitur triumuirûm, fabrûm, ſeſtertiûm, nummûm, quam orum, auctore Cicerone in Orat. Paragoge ſeu propalepſis eſt, quâ ad finem aliquid adijcitur: vt, dicier, pro dici. Apocope amputatio ſeu reſectio, qua detrahitur vel littera vel ſyllaba: vt, peculi, pro peculij, parce metu, pro metui: hîc tamen etiam Synæreſis eſſe poteſt: Mage pro magis: Hymen, pro Hymenæus. Metatheſis, tranſpoſitio ſeu tranſmutatio eſt, quâ litteræ in verbis ſingulis transferuntur, vt Thymbre pro Thymber, niſi vocatiuum eſſe malis, à nominatiuo Thymbrus: Piſtris, pro priſtis. Antitheſis, ſeu ἀντιστοιχον commutatio eſt, cùm littera pro littera ponitur: vt olli, pro illi, impete pro impetu.

Προστεσις.

Αφαιρεσις.

Επενθεσις.

Συγκοπή.

Παραγωγή.

Αποκοπή.

Μετάθεσις.

Αντιθεσις seu ἀντιστοιχος.

Συναίρεσις. tu. Synæresis, *contractio, est coniunctio duarum syllabarum in vnam: aluêo, pro aluëo, aêripedem, ceruam, pro aëripedem. Vna cândemq; via, sanguisque animúsque sequuntur. Virg. Epispalœpham Diomedes vocat.* Diæresis, *diuisio, est diphthongi vel syllabæ vnius in duas distractio: vt aulai, pro aulæ: persoluenda, pentasillabum: suasit, trisyllabum:* Systole, *est syllabæ longæ versus necessitate, facta contractio. Virg. Obstupui, steteruntq; comæ. Et connubio iungam stabili. Et, nimbosus Orion. In primo te, in altero nu, in tertio o, longa corripiũtur.* Diastole *seu Ectasis, est productio syllabæ natura contractæ: vt, Exercet Diana choros. Et, Versa puluis inscribitur hasta.* Synalœpha est, *cum vocalis in fine dictionis à vocali proximè sequenti in metiendo versu quasi deletur: vt, Carthagus Italiæ contra. Castus est quam nemo rogauit.* Ecthlipsis est, *qua m, littera in fine cum sua vocali in sequente vocali eliditur: vt, Gratum opus agricolis. Sic olim veteres litteram S, elidebant vt, Aut ouium fœtus, aut vrentes culta capellas. Vita illa dignus locoq;.*

Διαίρεσις.

Συστολή. Correptio.

Διαστολή seu ἔκτασις. Porrectio.

Συναλοιφή. abiectio vocalis.

Ἔκθλιψις abiectio literæ, m.

De Schematibus verborum coniunctorum.

Schemata Syntaxeos.

SCHEMA *grammaticum, seu figura, quæ* συντάξεως *Græcè, & consecutionis dicitur Latinè, est immutata quadam & arte nouata certis de causis*

cauſis, atque vſitata bonis ſcriptoribus dicendi ratio. Cui ſubijciuntur hæc: *Zeugma duplex; Rhetoricum & Grammaticum.* Rhetoricum zeugma *dicitur, cùm verbum vel adiectiuum ad ſubſtantiua diuerſa ita refertur, vt cum omnibus conueniat; ſed non mutatum: vt, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Aut ætate forma deflorescit, aut morbo. Ouid. Nam venus & vinum ſublimia pectora fregit.* Grammaticum zeugma *dicimus, cùm verbum vel adiectiuum vni tantùm rectè coniungitur propiori, ſed ad alterum vel plura, non niſi mutatū refertur. Teren. Dati annuli, locus, tempus conſtitutum eſt. Cicero: Ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra Republica percunctatus eſt. Et: Non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. Virg. Hîc illius arma, hîc currus fuit. Vocatur Prozeugma, cùm verbum vel adiectiuum antecedit: Meſozeugma, cùm interponitur: Hypozeugma, cùm ſequitur. Contraria zeugmati Hypozeuxis, Deſiunctio eſt, cùm ſingulis rebus ſua ſubiunguntur verba: vt, Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex, Fraxineæq; trabes, cuneis, & fiſſile lignum Scinditur, aduoluunt ingentes montib. ornos. Et: Venit hyems, teritur Scythia bacca trapetis, Glãde ſues redeũt læti, dant arbuta ſiluæ. et, Varios ponit fœtus autũnus & altè Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.* Syllepſis, *eſt duorum pluriũmue ac diuerſorũ*

Ζεῦγμα Rhetoricum.

Ζεῦγμα grammaticum.

Προζεῦγμα.

Μεσοζεῦγμα.

Ὑποζεῦγμα.

Ὑποζεῦξις. zeugmati contraria.

Diſiunctio.

Σύλληψις ſeu comprehenſio, quam conceptionem vocant.

ſubſtantiuorum comprehenſio, quibus adiectiuum aut verbum additur, quod præſtantiori, vel generi, vel perſonæ reſpondeat. Præſtat autem genus virile fœmineo & neutro : numerus ſingularis, plurali : perſona prima, ſecundæ & tertiæ: caſus rectus, obliquis. Ouidius : Mulciberis capti, Marsq; Venusq; dolis. Neque ego, neque tu fecimus. Cic. Si tu, & Tullia noſtra valetis, ego & ſuauiſſimus Cicero valemus. Poëticum eſt illud Ouidij : Ilia cum Lauſo, de numitore ſati. Et Virgilij : Remio cum fratre Quirinus Iura dabant. Sed rerum inanimarum ſubſtantiua adiectiuum plurale ferè neutrum deſiderant: niſi quòd interdum, ſi res eiuſdem ſint generis, adiectiuum ſimile eſſe poteſt. Cicero : Regna, imperia, nobilitas, honores, diuitiæ, opes, in caſu ſita ſunt. Prolepſis, præſumptio eſt, *cùm totum, ſeu genus numero fere multitudinis propoſitum rurſus in partibus intelligitur, vel conſentiens cum membris, vel mutatum : illam Grammatici locutionis paralepſim vocant, hanc conſtructionis : vt milites pugnant, alij pro patria, alij contra patriam. Bonorum alia ſunt animi, alia corporis, alia fortunæ. Aquilæ volabant, hæc ab ortu, illa ab occaſu. Virg. Interea reges, ingenti mole Latinus. Quadrijugo inuehitur curru, &c. Ter. Curemus æquam vterq; partem, tu alterum, ego item alterum. ſ. curabo. Hoc vocant prolepſim implicitam. Sic Virg. quiſque ſuos patimur manes. In magnis læſi rebus vterque ſumus. Liui.*

Πρόληψις. Præſumptio.

In Mauros pro se quisque armati discurrunt.

Eclipsis est *vocabuli vel oratiunculæ ad rectã orationis consecutionem necessariæ in sensu præ termissio, bonis scriptoribus usitata. Teren. Ubi ad Dianæ veneris, ito ad dextram, subaudi ædem, vel templum. Cic. Recta venit ad me. scilicet via. Castra aberant bidui, scilicet itinere. Virg. Hìc sæuus tendebat Achilles, scilicet tentoria, vel pelles. Sic Cæsar: Qui sub valle tenderent. Teren. Non posteriores feram, scilicet partes: Ferina, sulla, bubula, scilicet caro. Quartana, scilicet febris. Accusatus repetundarum. s. pecuniarum. Varro: Denarius, quòd denos æris valebat. s. nummos. Sestertiũm vicies. s. centena milia. Cic. Cæsar magnas copias breui habiturus est. s. tempore. Et: Complectar breui. Explicabo breui. s. oratione. Disseram pluribus. s. verbis, ita aiunt, ferunt, s. homines. Tuum est. s. officium. Ex quo, ex illo. s. tempore, apud Virg. Natalis. s. dies. Memini videre. s. me. Benè habet. s. se. Cic. Sales in dicendo mirum quantum valent. Mirum ni cantem. Nec enim mirum, si & c. mirum s. est. Terẽ. Vultu adeò venusto, adeò modesto, vt nihil suprà. s. esse possit. Eleganter etiam dicũtur, Ne multis; pro ne multis agam. Ne multa: quid multa? s. dicam. Sed hæc hactenus. s. dicta sint. Terent. Scire fidibus. s. canere. Cicero: in Pompeianum statim cogito. Et: inde ad Taurum cogitabam, scilicet ire. Occupationum mearum hoc signum erit, quòd epistola librarij manu est,*

Ἔκλειψις.

ſcilicet ſcripta. Quarta Kalendas, Nonas, Idus Maij. ſ. antè. Sic pridie Kalendas Maias. Virg. Abde domo. ſ. in: Et, Italiam venit, ſcilicet in vel ad, quod poëtæ permiſſum eſt. Cicero: Vereor, ne ſatis diligenter in Senatu actum ſit de literis meis, pro, ne non ſatis. Terent. Negat quis, nego, pro ſi negat. Apoſiopeſis *ſeu reticentia & præciſio eſt, qua per iram & indignationem, vel pudorem, vel metum, pars aliqua orationis veluti præciditur. Virg. Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus. quos ego, ſcilicet, puniam. Idem: Nouimus & qui te tranſuerſa tuentibus hircis. Terent. Quid ais omnium? Et: iam ſi verbum vllum poſthac. Et: Quem ego ſi ſenſero, ſed quid opus eſt verbis? Fit interdum quædam præciſio per tranſitionem. Virg. Nec requieuit enim, donec Calchante miniſtro, Sed quid ego hæc autem? Deeſt, donec Calchante miniſtro, quod voluit, perfecit.* Liptote *vocatur, cùm minus dicitur, & plus intelligitur: vt, Non ſum adeò inhumanus. Virgilius: Munera nec ſperno, id eſt, libenter accipio.* Aſyndeton, *ſiue Dialyton eſt, cùm ſententia nullis coniunctionum vinculis alligatur. Cicero. Abijt, exceſſit, erupit, euaſit. Virg. Ferte citi flammas, date vela, impellite remos. Rhetores articulum vocant, vt infrà dicemus.* Polyſyndeton *eſt, cùm oratio coniunctionibus abundat. Virg. Athamasq́, Thoasq́, Pelidesq́ Neoptolemus, primusq́ Machaon. Figura eſt poëtis quàm*

Ἀποσιώπησις Reticentia, ſeu præciſio.

Λειτότης.

Ἀσύνδετον. Diſſolutum ſeu Diſſolutio.

Πολυσύνδετον. Coniunctio.

Orato-

Oratoribus vſitatior. Schefis onomâtων, *cùm singulis nominibus singula epitheta coniungun-* χέσις ὀνομάτων.
tur. Virgilius: Marſamanus, Peligna cohors, feſtina virûm vis. Epitheton eſt, *quod proprio* Ἐπίθετον.
nomini aut ornandi aut vituperandi, aut indicandi, aut etiam ſignificantiùs exprimendi cauſa attributum eſt; vt, Alma Ceres, turpis egeſtas. Epitheta apud Oratores otioſa vituperantur, quæ tamen in carmine tolerantur. Epimo- Ἐπιμονή.
ne, *cùm verſus idem vel ſententia ſæpiùs inſeritur, qualis eſt ille Virgilianus: Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.* Paradiaſtole eſt, Παραδιαστολή.
quares, quæ ſimiles eſſe videntur, diſiunguntur, & quantum diſtent, oſtenditur; addito vnicuique rei proprio vocabulo. Virg. Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imber, Arboribus venti, nobis Amarylludis iræ. Non te frugalẽ appellabo, cùm ſis auarus: non liberalẽ, cùm ſis prodigus: nõ fortẽ, cùm ſis temerarius: nõ ſapiẽtẽ, cùm ſis aſtutus. Pleonaſmus eſt, *cùm ſuperuacuis verbis,* Πλεονασμός.
exaggerationis cauſa, vel extenuationis, oneratur oratio. (Nã cùm ſine cauſa adhibetur, vitiũ eſt, quod ſuprà indicauimus) Teren. Hiſce oculis egomet vidi. Cicer. Accipies igitur hoc paruum munuſculum. Minutis interrogatiunculis. Terent. Nónne oportuit præſciſſe me antè? Et: Tum hoc alterum, id verò eſt, quod ego puto palmarium me reperiſſe. Et: ſi eſt vt velit: pro ſi velit. Virg. Voce vocans Hecaten. Et: Retrò ſublapſa referri. Et: Multa quoque & bello paſſus: hîc

redun-

Παρέλκον, Productio seu Adiectio.

redũdat, &c. Parelcon est, *cùm vel ornatus, vel carminis causa verbum syllabæ adiectione extenditur. Terent. Sosia adesdum. Et: Ehodum ad me. Et: Hoc tu facito, dum animo cogites. in Adelph.*

Επαναληψις.

Epanalepsis *est eiusdem verbi, vel idem valentis, post quædam interposita repetitio. Cicero: Caue enim existimes Brute (quanquam non est necesse ea me ad te, quæ tibi nota sunt, scribere) caue putes, &c. Idem: Confirmato illo, de quo si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, vt ne minima quidem suspicio sensus relinquatur: hoc igitur probè stabilito & fixo, illud excutiendum est.*

Hendiadis vulgo vocatur. Græcè ἑνδιαδύω. Figura poëtica est.

Hendiadis est, *cùm substantiuum versus causa in adiectiuum soluitur, vel in vnum duo contrahuntur. Virg. Pateris libamus & auro, id est, pateris aureis. Et: Ipsumq́ vocemus In prædam partemq́ Iouem, pro in partem prædæ. Et: Molemq́ & montes insuper altos, id est, molem altorum montium.*

Ειρμος.

Εἱρμος, *Irmus, est series seu cõnexio orationis, eodem quasi filo ad clausulam vsque deductæ, per eiusdem casus continuationem. Virgilius lib. 6. Principio cœlum ac terras camposq́ liquentes, Lucentemq́ globum lunæ, Titaniaq́ astra Spiritus intus alit.*

Εναλλαγὴ. duplex.

Enallage, *Commutatio seu variatio, quâ vel partes orationis inter se, vel partium accidentia seu attributa inter se, commutantur. Est enim duplex: Vna appellatur* ἀντιμεραία, *quæ partium est: posterior* ἑτέρωσις, *quæ accidentium est commutatio.*

Superioris

Superioris exempla sunt : Scire tuum; pro tua scientia, apud Persium. Terentius: Ego verò ac lubens, pro lubenter. Virgilius, Sole recens orto. Luuius, Belluæ recens captæ. Plaut. recens natus. nomen recens vsitatum pro aduerbio recenter, quod est inusitatum. Toruum tuetur, poëticè, pro toruè. Et: qui Curios simulāt & Bacchanalia viuunt, pro Bacchatim, seu potiùs more celebrantium Bacchanalia. Crastinus pro postero die, apud Virgil. Hesternus, pro pridiano, apud Terentium. Horrentia Martis arma, pro horrenda: Et: bellantur, pro bellant, apud Virgilium. Cicero: Conficior lacrymis: quod vtinam minùs vitæ cupidus fuissem; pro vtinam autem fuissem. Eleganter, cùm, pro quo die vel quo tempore ponitur. Cicero: Vtinam illum diem videam, cùm tibi agam gratias, quòd me viuere coëgisti. Vix annus interceſſerat, cùm iste, &c. Virgilius: Autè leues ergo pascentur in æthere cerui; pro priùs. Et: Veneris contrà sic filius orsus, pro inuicem. Sallustius: Hyemem atque æstatem iuxtà pati, pro æquè. Posteriorum exempla potissimùm spectantur in commutatione casuum, generum, numerorum, personarum, modorum, ac temporum. Enallage casuum *Antiptosis dicitur, cùm casus pro casu ponitur. Virgilius: Projce tela manu sanguis meus, pro mi. Lucanus: Tutumq; putauit iam bonus esse socer. Ouidius: Acceptum refero versibus esse nocens. Virgilius; Placitóne etiam pugnabis amori ? pro cum amore.*

Recens natus dicitur, quia recenter est inusitatum.

Heteroſis casuum.

Αντιπτωσις.

amore. Terent: Eunuchū quē dediſti nobis quas turbas dedit? Saluſt. Vterque graues inimicitias cum illo exercebant. Horat. Mactè virtute eſto. Virg. Hæret pede pes, pro pedi. Genus cū genere commutatur. Virgilius, Dulce ſatis humor. Numerus pro numero ponitur. Saluſt. Interea à ſeruitia repudiabat, cuius rei ad eum magna copia concurrebant, pro quorum. Terentius: Adeon homines immutarier ex amore, vt non agnoſcas eundem eſſe? pro eoſdem. Salluſt. Maxima pars vulnerati. Virgilius: Pars inſrusta ſecant. Et: Pars ſtringunt gladios. Ouidius: Pars volucres factæ. Et; vtraq; formoſæ Paridi potuêre videri. Virgilius: Turba ruunt. Hanc figuram Syntheſin vocant, vſurpatam poëtis & hiſtoricis, raro Oratoribus, qua ſenſus magis réſque ſignificata, quàm vocabulum inſpicitur. Nam collectiua nomina multitudinem ſignificāt; qualia ſunt, populus, gens, exercitus, ciuitas, &c. Huc pertinent: Anſer fœta. &: Centauro inuehitur magna, ſcilicet naui, Terent. In Eunuchum ſuam, ſcilicet fabulam, vel comœdiam. Referenda huc quoq; videtur Synecdoche figura Græcorum propria, cùm pars in accuſandi caſu iungitur adiectiuo vel verbo: ſiue, cùm id quod partis eſt, toti attribuitur. Virgilius: Omnia Mercurio ſimilis, vocemq; coloremq;, &c. Et: Expleri mentem nequit. Et: At cætera Graius. Horat. Miles iam fractus membra labore. Luius: Vt verò Hannibal ipſe dum murum incautus ſubit, ad-

Enallage generū ἀλλίωσις.

Heteroſis numerorum.

Σύλληψις.

Συνεκδοχή.

uersum femur tragula grauiter ictus cecidit. Auferendi casus Latinis usitatior est. Martialis: Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus. Et: Ore tener, latus pectore, crine glaber.

Enallage personæ. Terent. Si quis me quæret rufus, præsto est; desine. pro præstò sum: nam de se loquitur. Licebit huc figuram eam referre, quam Grammatici nominant Euocationem siue Auocationem, quâ reuocari volunt nominatiuum tertiæ personæ ad primam aut secundam, vt sit vtrumq; vel primæ vel secundæ personæ, ratione pronominis aut expressi aut intellecti. Tradunt enim illi nomina omnia tertiæ esse personæ, & figuram appellari, cùm nomen verbo primæ vel secundæ personæ iungitur: eamq; explicitam dici, cùm exprimitur pronomen: implicitam cùm reticetur. Virgil. Ille ego qui quondam, &c. Arma virumq; cano. Et: coram quem quæritis adsum Troius Æneas.

Enallage personæ.

Euocatio.

Enallage modi. Virg. Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras, pro impulisset. Et: Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto, pro eris. Terent. Omnes inuidere mihi, & mordere clanculum, ego autem flocci pendere. infinitiuus modus est, pro imperfecto indicatiui, usurpatus poëtis & historicis, nonnunquam etiam Oratoribus. Enallage temporis. Terent. Tu si hic sis, aliter sentias, pro esses & sentires. Virg. Vulnus alit venis, pro alebat. Et Fumat, pro fumauit.

Enallage modi.

Enallage temporis.

Et, Progeniē ſed enim Troiano à ſanguine duci Audierat, pro ducendam eſſe. Liuius: Si tales animos in prœlio habebitis, vicimus, pro vincemus. Hyperbaton, *eſt ordinis grammatici perturbatio ſeu immutatio, cuius formæ ſunt: Anaſtrophe, Tmeſis, Hyſterologia, Hyſteron proteron, Hypallage, Parentheſis, Synchyſis.* Anaſtrophe, *eſt verborum inuerſus ordo. Virgilius: Italiam contra. Et: Spemq́ metumq́ inter dubij. Horatius: Quem penes arbitrium eſt. Cicero: Cuius cum patre magna mihi fuit familiaritas. Quorum è numero. Cuius in labris. Cæſar: Diu cùm eſſet pugnatum.* Tmeſis, *ſeu diacope, ſectio, eſt vocabuli compoſiti per vnum aut plura interiecta diuiſio. Virgilius: Qualis Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni. Teren. Quæ meocumque animo lubitum eſt facere. Et: Thais maximo te orabat opere. Et: Per pol quàm paucos reperias fideles! pro perpaucos. Eſt enim munus eius non ingenij ſolùm, ſed laterū etiā ac virium.* Hyſterologia eſt, *cùm præpoſitio non cum eo caſu quem requirit, ſed cum verbo tanquam cum eo compoſita coniungitur. Virg. Tyriam quam aduèneris vrbem, pro ad vrbem.*

Ὑπέρβατον.

Ἀναστροφή, Peruerſio, ſeu Inuerſio.

Τμῆσις, ſeu diacope. Diuiſio, ſeu Sectio.

Ὑστερολογία.

Ὕστερον, πρότερον. Hyſteron proteron *ſiue prothyſteron, eſt inuerſus ſententiæ ordo, quo id quod ſecundo loco fit, priori ponitur. Virgilius: Poſtquàm altè tetigit fluctus, & ad æquora venit. Et: Aretum primùm magno eſt æquanda cylindro, Et vertenda manu. Differt à ſuperiori prothyſteron,*

ron, quòd in illa vocabulorum, in hoc autem sen-
suum & rerum ipsarum est commutatio. Hypal- Ὑπαλλαγή.
lage est, cùm oratio mutato rerum ordine effer-
tur. Virgilius: Ibant obscuri sola sub nocte: pro,
soli sub obscura nocte. Dare classibus Austros,
pro dare classes Austris. De parenthesi infrà di-
cetur. De Synchysi dictum est inter compositio-
nis vitia.

De Schematibus Rhetoricis.

SCHEMATA *Rhetorica sunt exornationes* Schemata plera-
& lumina orationis, quibus supra quotidianum que, ab ipsa na-
sermonem illustratur oratio; & veluti coloribus tura ducuntur, &
depingitur, vt sit elegantior & iucundior. Ea fe- vario hominum
rè omnia ab ipsa natura ducuntur, & vario ho- affectu irascen-
minum affectu, irascentium, negantium, affir- tium, negantiũ,
mantium, &c. Sunt horum quoq; genera duo, vt affirmantium,
ante dictum est: vnum verborum, alterum sen- &c.
tentiarum. Hæc vtiliter quidam nostræ memo- Schema rheto-
riæ viri docti in tres ordines partiti sunt: quo- ricum duplex.
rum Primus, vt suprà indicauimus, continet ea,
quibus verba exornantur: Secundus ea comple-
titur, quibus ornatur oratio: Tertius ea, quibus
iugetur, & amplior efficitur. In primo sunt ex-
ornationes verborum: in secundo orationis: in
tertio amplificationis. Primi ordinis figuræ. Primi ordinis
Repetitio ἀναφορά, *cùm eadem vox aliquoties* figuræ.
membrorum initio repetitur. Cicero: Nihil te Repetitio,
nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, Ἀναφορά, ἡ Ἐπα-
ναφορά.

nihil concursus bonorum omnium,&c. nihil horum ora vultusq; mouerunt? Terentius: Hóccine est humanum factum aut inceptum: hóccine officium patris? Nihil hac exornatione crebrius occurrit.

Ἐπαναλῆψις Est alia figura, cuius suprà meminimus inter figuras Grammaticas.

Epanalepsis *(conduplicationem Cic. vocat) cùm eadem vox initio & in fine ponitur. Ouid. Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper. Pater inquam, me lumine orbauit, pater. Cognitum est te Rempublicam venalem habuisse, cognitum est.* Epizeuxis *subiunctio (quæ Paliologia quoque dicitur) est eiusdem verbi vehemens geminatio. Ci. viuis, & viuis non ad deponendam sed ad confirmandam audaciam. Vos vos appello, fortissimi viri. Virg. Ah Corydon Corydon. Et, Me me adsum qui feci, in me conuertite ferrum.*

Ἐπιζευξις quæ & Παλιλογία. Geminatio verborum seu iteratio dicitur, cùm aliquid geminatis interponitur. vt, Me, inquam, me, &c.

Ἀναδίπλωσις

Anadiplosis: *Reduplicatio, quâ præcedentis versus vel commatis dictio initio sequentis iteratur. Virg. Sit Tityrus Orpheus, Orpheus in syluis. Cic. Hic tamen viuit, viuit? immò verò in Senatum venit. Hæc duo Cicero in particionibus appellat gemminata atque duplicata.*

Conduplicatio.

Conduplicatio, *(quam Anadiplosim Aquila vocat, Martianus Capella replicationem) est, cùm quæ in superiore membro postrema ponuntur, ea in posteriori prima repetuntur. Teren. Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? hanc Demipho negat esse cognatam? Commotus non es, cùm tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus? adhibetur hac figura, vbi*

vbi iam incalescit oratio. Conuersio, ἀντιστροφὴ (Rutilius ἐπιφορὰν appellat) cùm eadem voce cõmata clauduntur; vt, Pœnos populus Romanus iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit. Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimæ copiæ e Gallia, equites numero plurimi è Gallia. Ἀντιστροφὴ. Conuersio.

Complexio, συμπλοκὴ, cùm eadem vox repetitur, & in initio & fine membrorum. Cic. Quis eos postulauit? Appius. Quis produxit? Appius. Quem Senatus damnarit; quem populus Romanus damnarit; quem omnium existimatio damnarit; eum vos sententijs vestris absoluetis? Copulatio πλοκὴ, cùm idem verbum quod hominis est, repetitum mores significat; vt, Ad illum diem Memmius erat Memmius; id est, erat sui similis. Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia. Talis mater erat, si modò mater erat; id est, si modò maternum erga filium animum gerat. Συμπλοκὴ. Complexio. Πλοκὴ. Copulatio.

Antistasis est, vt ait Rufinianus, cùm idem verbum repetitur in contrario sensu; vt: Vna salus victis nullam sperare salutem. Et: Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis. Cicer. Quis ignorat in eiusmodi domo, &c. seruos non esse seruos? Atque hæc quidem ornamenta, quæ sunt explicata, repetitionem continent, quorum quædam præter venustatem etiam acrimoniam adiunt orationi. Traductio est, cùm idem verbum aliquoties diuerso casu concinnè variatũ re- Ἀντίστασις. Μεταξολὴ. Traductio.

Πολύπτωτον multitudo casuum varietate distincta.

petitur, Rutilius πολυπτωτον vocat. Cic. Sit deniq; in ciuitate ea prima res, propter quam ipsa est ciuitas omnium princeps. Qui nihil habet in vita iucundius vitâ, is cum virtute vitam non potest colere. Pater hîc tuus nunc denique est, vt alat inopiam tuam? patrem nunc appellas, quem priùs egentem auxilio tuo vt alienum deseruisti? patris filius es ad potiundas opes? Terent. Enim me miseret, ei nunc timeo, is nunc me retinet. Idem: in te spes, Hegio, sita est, tu es patronus, tu parens, ille tibi moriens nos commendauit senex. Virg. Litora litoribus contraria, fluctibus vndas imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotes. Pers. ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.

Articulus. Ασυνδετον, ἢ διαλυτον.

Articulus ασυνδετον, ἢ διαλυτον, dissolutio; cùm multa sine coniunctione commata seu incisa cohærent; vt, Acrimonia, voce, vultu, aduersarios perterruisti. Terent. Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerẽ. Veni, vidi, vici. Abiit, excessit, euasit, erupit. Hîc etiam veluti per gradus crescit oratio. Virgilius: Ferte, citi flammas, date tela, impellite remos. Vtimur hac figura, cùm quid acriter & vehementer dicendum est. Superiori contrarium est

Πολυσύνδετον. Polysyndeton, cùm oratio multis coniunctionibus copulatur. Virg. tectumq;, Laremq;, Armaq;, Amyclæumq; canem.

Similiter cadens Similiter Cadens, ομοιοπτωτον, cùm ijsdẽ casibus verba vel sententiæ finiuntur, quod fit in orationis partibus, quæ casibus variantur; vt: Hominẽ laudas egentẽ virtute, abundantem

dante felicitate. Similiter desinens, ὁμοιοτέλευτον, cùm dictiones vel sententiæ similiter exeunt, quod fit in reliquis orationis partibus casu carentibus; vt Turpiter audes facere, nequiter studes dicere. Hos deduci, quàm relinqui, euehi, quàm deseri malui. Cicero: Qui armati Senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, Rempublicam oppugnarint. Compar ἰσόκωλον, cùm membra constant pari ferè numero syllabarum; vt: In prælio pater mortem oppetebat, domi filius nuptias comparabat. Nec Reipublicæ consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti. Sed in his tribus est cauendum, ne fastidium pariat assiduitas.

Similiter desinens.

Compar seu membrum.

Paranomasia, seu Prosonomasia, Agnominatio, cùm litteris paulùm immutatis quadam similitudine vocem in contrariam significationem deflectimus. Terent. Inceptio est amentium, non amantium. Et: Tibi erunt parata verba, huic homini verbera. Arator est, non orator. Non decet hominem genere nobilem videri mobilem. Magistratus oneri est illi potiùs, quàm honori. Huc illa pertinent, Oppugnari vir bonus potest, expugnari non potest. Immorandum studijs est, non immoriendum. Antanaclasis superiori vicina, est eiusdem verbi mutata significatio: vt, Amari iucundũ est, si curetur ne quid insit amari. Non expectat mortem tuam filius, imo oro, inquit, vt meam mortem expectet: cùm significaret malle se mortem suam expectari, quàm ex-

Παρανομασία, immutatio. Huc referuntur paragramma, & parechesis. Παρήχησις, vel eædem figuræ vel consimiles paranomasiæ seu agnominationi.

Ἀνταναπλωσις.

peti ac maturari. Hypallage, Eclipsis, Aposiopesis, Onomatopœia, Antonomasia, Metonymia, Catachresis & Allegoria, quæ ad hunc ordinem pertinent, suprà sunt explicata. Secundi ordinis figuræ:

Secundi ordinis figuræ.

Interrogatio.

Interrogatio, quâ non simpliciter quærimus sciendi causa; sed instamus, asseueramus, indignamur, miseramur, admiramur, dubitamus interrogando. græci vocant ἐρώτησιν. Cicero: Quousque tandem abutêre Catilina patientiâ nostra? seruare potui, perdere an possim rogas? Interrogatio vehementissima ἐπιτροχασμὸς dicitur & πῦσμα, quæ pluribus interrogationibus & acriter vrget. Teren. Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est? Subiectio, cùm ipsi nostræ interrogationi respondemus. Cicero: Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. At dicet aliquis; hæc igitur tua disciplina? &c. ego iudices, &c. Exclamatio est, per quam intentiore pronuntiatione motum animi nostri testamur. Cic. O tempora! ô mores! Hæc vtimur, cùm iam inclinatis auditorum animis velut erumpimus in hæc verba. Virg. Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Dubitatio, ἀπορία seu διαπόρησις, vt Aquila vocat, cùm dubitare nos, & quid dicendum faciendúmue sit, nescire, significamus. Cicero: Quid primùm quærar, aut vnde potissimum exordiar, Iudices? Virg. eloquar an sileam? Terentius: Vbi quæram

Ἐπιτροχασμὸς.
Πῦσμα.

Subiectio.

Exclamatio.

ἀπορία.
Dubitatio.

ram? vbi inueſtigem? quem percuncter? qua inſiſtam via? incertus ſum. Cicer: Vtrum difficilius aut maius eſſet, negare tibi ſæpiùs idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multumque Brute dubitaui. Paradoxon ſeu inopinatum, cùm ſuſpenſis auditorum animis inopinatum aliquid ac minimè expectatum ſubiungimus, Terentius: In me quiduis harum rerum conuenit, quæ ſunt dicta in ſtultum; caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus: in illum nihil poteſt: nam exuperat eius ſtultitia hæc omnia. Huc referri etiam poteſt, cùm negamus nos vel ſuſpicari potuiſſe; vt, nunquam iudices, credidi fore vt reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia valeret, precarer. Miror vnde tibi in ſuſpicionem venerim. Adynaton, quod fieri non poteſt. Virgilius: Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráque centum, Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina poſſem. Non dici poteſt, quantopere me tuæ litteræ delectauerint. Communicatio, cùm aut ipſos aduerſarios conſulimus, aut cum iudicibus quaſi deliberamus: vt, Cedò, ſi vos in eo loco eſſetis, quid aliud faceretis? Communem rem putate, ac vos huic præpoſitos. Virgilius. Fuit & tibi talis Anchiſes genitor. Dauni miſerere Senectæ.

Παραδοξον. Inopinatum.

Ἀδύνατον.

Κοινωσις. Communicatio.

Permiſsio, ἐπιτροπη, ſuperiori vicina, cùm cauſæ bonitate freti quædã iudicibus aut aduerſarijs

Ἐπιτροπη. Permiſſio.

sarijs æstimanda relinquimus. In actis Apostolorum: Sitne magis hominibus obtemperandum, quàm Deo, ipsi iudicate. Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui Prætor fieres, quàm Catonem. Aut, cùm rem totam alterius potestati permittimus, veluti, cùm nostræ causæ ita confidimus, vt iudicibus largiamur de ea quod videtur statuendi facultatem: (Græci vocant ἐπιτροπὴν, teste Rutilio:) vt; Sed ego iam, iudices summum ac legitimum quod exposui meæ causæ ius omitto, vobis quod æquissimum videatur, vt constituatis permitto. Non enim dubito, quin etiamsi nouum sit vobis instituendum, libenter id quod postulo propter vtilitatem communis consuetudinis sequamini. Permissio, *per dissimulationem est, cùm permittendo deterremus, & inuitos permittere nos ostendimus. Virg. Isequere Italiam ventis, pete regna per vndas. Terent. Effundite, emite, facite quod vobis lubet. Et: Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.* Licentia, παῤῥησία, *loquendi libertas appellatur, cùm quadam liberiùs dicuntur, vel commonefaciendi, vel obiurgandi causa. Miramini, Quirites, quòd ab omnibus rationes vestræ deserantur? &c. id tribuite culpæ vestræ, atq; desinite mirari, &c. Sed hac figura prudenter vtendum est, & cauendum ne molesta sit licentia, & auditorem offendat.* Apostrophe *seu auersio est, cùm sermonem auertimus ad absentem, vel etiam præsentem; vt Cicero fecit, à Cæsare conuertens o-*

Quinctil. ex. Caluo citat.

Permissio per dissimulationem

Παῤῥησία, Licentia.

Ἀποστροφὴ.

rationem

rationem ad Q. Tuberonem. Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? &c. Idem, Vos enim iam ego Albani tumuli, atque Luci, vos, inquam, imploro & obtestor, &c. O Leges Portiæ, Legesq; Semproniæ. Tertij ordinis figuræ: quo continentur amplificationis exornationes. Amplificationis figuræ sunt, quæ non ad ornandam solùm orationem, sed ad augendā etiam comparantur, & a Cicerone sententiarum exornationes vocantur; à Quinctiliano partim inter amplificationes; partim inter argumenta recensentur. Nihil enim prohibet ex ijsdem locis & amplificationum ornamenta, & probationes peti: ac ornamenta quidem dici, cùm ornandi causa adhibentur; argumenta verò, cùm probant. Oriuntur igitur hæc schemata potissimùm ex locis dialecticis, velut ex definitionis loco. Auxesis, αὔξησις, cùm verbo grauiore, quā pro re vtimur, atrociusq; proprij loco substituimus: veluti cùm latronem dicimus, qui sit improbus: sacrilegum, qui sceleratus: veneficam, quæ mala sit: asinum, qui stolidus: mutum, qui nihil respondeat: scelus, pro errato: debaccari, pro conuiciari: inflammare, pro hortari. Et cùm res altiùs tolluntur; veluti si rei dignitatem supra modum exaggeremus. Tapinosis ταπείνωσις vel μείωσις diminutio, extenuatio, superiori contraria: vt cùm perstrinxisse dicimus, qui vulnerauit: attigisse, qui colaphum inflixit: seuerum, qui crudelis sit: affabilem, qui adulator: liberalem, qui prodigus:

Tertii ordinis figuræ.

Ex ijsdem locis amplificationes & probationes peti, Cic. l. 3. de Orat.

Figuræ ex loco definitionis.

Αὔξησις.

Ταπείνωσις, μείωσις.

Diminutio.

curiosam, quæ venifica sit: erratum, pro scelere. Sic res extenuantur, veluti, cùm difficultas minuitur, vel ars cum alia collata deprimitur, vt in oratione Ciceronis pro Murena, ars militaris scientiæ iuris ciuilis anteponitur. Vel, cùm nimiùm contemnimus hominem, vel rem, vt inutilè deprimimus. Huic subijcitur λεπτότης, quâ quippiã arrogantiæ vitandæ causa attenuamus. Cic. Si quid est in me ingenij, iudices, quod scio quàm sit exiguum, &c. Emphasis, significatio est, quâ significantius aliquid ex verbis intelligitur, siue latens, siue expressum. Virg. in Bucol. Cantando tu illum? quasi dicat, indoctus peritissimum? Et in 1. Georg. Cùm iam glandes aq; arbuta sacra Deficerent syluæ: hoc est, non solum profanæ, sed etiam sacræ. Synonymia, interpretatio, cùm multa verba idem significantia coniungimus. Cic. abijt, euasit, erupit. Idem: promitto, recipio, spondeo. Et: Quoniam semper appetentes gloriæ, atque auidi laudis fuistis. Expolitio, ἐξεργασία, quæ eandem rem cõmutatis sententijs explicat. Cic. Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? Quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? (potest hoc & ad synonymiam referri, quod in apostrophe quoque positum leges) Tale est Lucani exordium: Bella per Aemathios, &c. Non vtendum est hac figura nisi cùm prodest in aliqua re commorari, & diutiùs auditorem

λεπτότης.

ἔμφασις. Significatio.

Συνωνυμία. Interpretatio.

Ἐξεργασία.

Vna in re commoratio hæc Epimone quoque dicitur.

rorem detinere, vnde & Commoratio dicitur, eademq; ἐπιμονη. Vitium autem existet, quod Periergia dicitur, si in re tenui varianda nimis curiosam operam, & superuacaneam ponas. Definitio est, quâ, inter duo pluráne quid intersit, ostenditur. Hanc definiendi rationem Dialectici κατα διαφορων appellant: vt, Non est fortitudo, sed temeritas sine honesta ratione adire pericula. Non est Rex dicendus, qui non iure, sed vi dominatur; qui suis, non Reipublicæ commodis studet; qui non defendit, sed opprimit bonos. Ex loco diuisionis oriũtur hæc. Distributio, μερισμος, cùm rem in partes diducimus. Cic. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium & solatium præbent. Cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimæ: oculi ad lasciuiam; manus ad rapinam; venter ad auiditatem & libidinem; pes ad fugam, &c. Lege primam locupletandæ sententiæ rationem apud Erasmum lib. 2. de copia. Dialysis, dissolutum; vt, Iudices partim gratiâ, partim pecuniâ corrupti sunt.

Definitio per differentiam.

Figuræ ex diuisionis loco.

Distributio.

Διάλυσις. seu dissolutum.

Epanodos, Regressio, cùm id quod erat propositum per prolepsim in partib⁹ iteratur: vt, Vicerunt Romani Carthaginẽses mari, terrâ Gallos.

Ἐπάνοδος.

Dilemma, seu complexio, quâ duo contraria distinguuntur subiecta ratione: vt, Cur ego illum puniam? Si probus est, non cõmeruit: sin improbus, non emendabitur. Vel auaritia te impulit vel inopia: non autem auaritia, cùm sis prodigus:

Δίλημμα seu complexio.

non

non inopia, cùm circumfluas opibus. Paradiastolen *suprà definiuimus distinctionem eorum, quæ vnã vim habere videntur; vt, Non sapiens, sed astutus: non fortis, sed confidens: non seuerus, sed maleuolus: non parcus, sed auarus. Premitur veritas, sed non opprimitur.* Expeditio, *siue enumeratio est, per quam pluribus rebus expositis, ac cæteris infirmatis, vna reliqua confirmatur hoc modo: Cùm fundus iste meus fuerit, quem tu nunc inuasisti, necesse est, aut vacuum occupaueris, aut vsu tuum feceris, aut hæreditarium acceperis, aut donatum, aut vi me deieceris: Vacuum autem occupare, aut vsu tuum facere, cùm ego adessem, non potuisti: emptio nulla profertur: testamento ad te prouenire me viuo non potuit, &c. Relinquitur ergo, vt me vi de meo fundo deieceris.*

Paradiastolen suprà inter schemata grammatica.

Expeditio, siue Enumeratio.

Συναθροισμὸς. Congeries *coaceruatio verborum varia significantium. Terentius: in amore hæc omnia insunt vitia, iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, indutiæ, bellum, pax rursum, &c. Sallustius: Animus audax, subdolus, varius, cuiuslibet rei simulator, & dissimulator. Differt à Synonymia, quòd in Synonymia multa verba idem pænè declarant; vt, prostrauit, afflixit, perculit. Cicero: Non feram, non patiar, non sinam: in congerie multa res diuersas notant. Ad hoc genus exornationum adscribas licebit* Frequentationem, *seu dinumerationem, quâ res in tota causa dispersæ coguntur vnum in locum, quò*

Συναθροισμὸς.

Συνωνυμία.

Frequentatio seu Dinumeratio.

grauior aut acrior, aut criminosior oratio sit; vt ait Cornificius libro quarto ad Herennium. Cui cognata videtur Continuatio, *quæ definitur eodem libro, densa & continens frequentatio verborum, cum absolutione sententiarum: hoc est, breuis quædam vno circuitu conclusa argumentatio.* Continuatio.

Incrementum *dicitur, cùm veluti gradibus quibusdam peruenitur non modò ad summum, sed quodammodo etiam supra summum. Cicero V. actione in Verrem: Facinus est, vincire ciuem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? pecuniam, honores, regnum, ipsam denique vitam præ patriæ caritate contempsit. In hoc etiam circumstantijs rem augemus, vt Cicero vomitum Antonij. O rem non visu modò fœdam, sed etiam auditu. Si inter cænam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is fructis esculentis vinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal impleuit. Hîc singulæ voces incrementum habent. Et causis:* Incrementum.

Aetiologia *est, cum propositi alicuius causam statim subijcimus: vt, Iure Archias fructum ex meis studijs repetit, fuit n. mihi adiutor ad suscipienda hæc studia. Teren. Si Simo hunc noris satis, non ita arbitrêre, nam bonus hic est vir.* Ex causarum loco. Αἰτιολογία.

Apophasis *est, cùm quasi alio interrogante, nobis ipsi respondemus, & rationem reddi-* Ἀπόφασις quæ ratiocinatio dicitur lib. 4. ad Heren.

dimus. Cic. Si quis furem occiderit, iniuriâ occiderit; quamobrem? quia ius constitutum nullum est, quid? si se telo defenderit? non iniuriâ, quid ita? quia constitutum est. Dicæologia, cùm causam quam adferimus, vt æquam defendimus: vt, Quanquam est amicus, tamen amicitiæ anteferenda est veritas. Amauit Pamphilus, dum ætas tulit. Fecit iratus, iniuriâ affectus. Virgilius. Furor arma ministrat. Non dissimilis est huic schemati Necessitas, ἀναγκαῖον, cùm necessitatem causamur. Hannibal apud Liuium: illis timidis & ignauis esse licet, qui receptum habent, nobis necesse est esse fortibus, quibus ad effugium nihil reliquum est. Deseruit amicum, non voluntate, sed coactus legibus. Metastasis est, cùm causa transfertur in locum digniorem, aut magis profuturum dicenti. Cicero pro Marcello: Tueri vitam, Cæsar, debes, si non tua causa, at Reipublicæ. Color, χρῶμα, est callida & probabilis suspectæ causæ ac rei perperam actæ defensio. Terent. Postquam ad iudices ventum est, non potuit cogitata proloqui, ita cum tum timidum obstupefecit pudor. Gradatio, κλῖμαξ, cùm gradibus quibusdam ita ab vno ad alia transimus, vt semper proximum verbum repetatur: vt, Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos cõparauit. Cic. quæ reliqua spes est libertatis, si illis & quod libet licet, & quod licet possunt, & qui possunt, audent? Terent. Accepi, acceptam seruabo. Virgilius. Quæ Phœbo pater omni-

Διχμολογία.

Necessitas.

Μετάστασις.

Χρῶμα Color.

Κλῖμαξ Gradatio.

omnipotens, mihi Phœbus Apollo Prædixit, &c. Et: Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam, &c. Huc pertinet Epiploce, quam Rutilius posuit, quâ complures sententiæ inter se connexæ continentur: vt expugnauit domum, expugnata vi domo familiam abstraxit, abstractam tormentis omnibus excruciauit, &c. Ex contrarijs.

Contentio, seu contrarium, ἀντίθεσις, cùm ex contrarijs amplificatur oratio; quod fit vel singulis verbis: vt, Vulgo placere, non vera, sed falsa gloria est. In fuga fœda mors, in victoria gloriosa. Vel sententijs, vt, pellitur e medio sapientia; vi geritur res. Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes. Atque hæc contentio, quæ fit sententijs contrarijs, huius ordinis propria est. Ouid. Donec eris felix, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris. Huc illa Rhetorum enthymemata ex contrarijs conclusa pertinent. Horat. Cur nescire pudens prauè, quàm discere malo? Contrarium appellat auctor Rhetoricæ ad Heren. sumptam ex aduerso probationem; vt, Quos ex collibus eiecimus, cum his in campo metuimus dimicare? Ἀντιμετάθεσις.

Figura ex contrariorum loco.

Contentio seu contrarium.

Commutatio, ἀντιμετάθεσις, cùm inuertitur aliqua sententia per contrarium. Cic. deleg. Verèq; dici potest, magistratum legem esse loquentem; legem autem mutum magistratum. Esse oportet vt viuas, non viuere, vt edas. Poëma loquens est pictura, pictura autem tacitum

Commutatio.

poëma.

poëma. Eripis, vt perdas, perdis, vt eripias. Hoc
Inuersio. Rufianus Metathesin appellat. Inuersio, quâ docemus argumentum, quod contra nos adfertur pro nobis facere: vt, Sepelijsti solus, igitur occidisti. Immò si occidissem, non sepelissem. Com-
Communicatio. συνοικείωσις. municatio συνοικείωσις cùm duæ res contrariæ coniunguntur: vt, Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet. Labor est etiã ipsa voluptas. Vterq; vituperandus, & prodigus & auarus: quòd neuter suis rebus benè vtatur. Cor-
ἐπανόρθωσις Correctio. rectio, ἐπανορθωσις, quæ tollit quod dictum est, & pro eo, quod magis videtur idoneũ, reponit. Cic. Quas ille leges, si modò leges nominandæ sunt, ac non faces vrbis. Crudelis homo, immò ne homo quidem. In verrem: Non enim furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, &c. Idem, O clementiam populi Romani, seu potiùs patientiam miram ac singularem! Punitus est, quanquam illa non pœna, sed proditio sceleris fuit. Terent. Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam. Item: Ciues, inquam, si eos hoc appellari nomine fas est. Quinctil. id reprehensionem vocat. Huc pertinet
Διαφορὰ Diaphora apud Rutilium, cùm verbũ iteratum aliam sententiã significat, atq; significauit primò dictũ: vt, huius ærumnæ quemuis cæterorũ hominẽ, modò hominẽ cõmouere possent. Item: In vniuersum mulierem, quid potiùs dicam, aut veriùs, quàm mulierem? Reiectio,
Ἀποδιωξις. Reiectio. ἀποδιωξις, cùm quippiam ab aduersario allatum eludimus: vt, hac de re quid attinet

net dicere? Erit aliàs opportunior dicendi locus.

Præteritio, παραλειψις *est, cùm nos omittere simulamus, quod maximè dicimus: vt, Non dico te ab socijs pecunias accepisse, &c.* Παραλειψις. Præteritio.

Occupatio, *seu præsumptio,* προλημψις *&* προκαταλημψις *est, cùm id quod obijci nobis potest, ante occupamus ipsi, atque diluimus. Cicero pro Archia: Ac ne quis a nobis hoc ita dici miretur, quòd alia quædam in hoc facultas sit ingenij, &c quæret quispiam. Virg. Nec vos arguerim Teucri. Huc referri poterit* ἐραχυτεία *à Rutilio explicata, cùm Orator brevitate sententiæ præcedit auditoris expectationẽ. Lysias: Quæris a me quo iure obtinere possim? quo iure Polycrates reliquit, quo iure prætor dedit possessionem; leges me defendunt, ad te non pertinent; hi veritatem sequantur.* Concessio, παραμυθια, *cùm quædam aduersario concedimus, deinde inferimus, quod aut maius sit quàm superiora, aut etiam omnia quæ concessimus, infirmet. Cic. Dominetur in concionibus inuidia, iaceat in iudicijs. Fueris illi aliquando amicus intimus & familiarissimus, beneficia contuleris. quid tum? an non amicitia omnis isto tuo facinore dissolui potuit?* Confessio. *Superiori vicina, cùm callidè omnia aduersario permittimus. Cicer. Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maximè optandum, confitentem reum.* Consensio *quoque superioribus cognata est. Cicero in Verrem: Gaudeo etiam si quid ab eo abstulisti, & abs te nihil rectius factũ*

Πρόληψις *&* Προκατάληψις. Occupatio.

Ἐραχυτεία.

Παραμυθία, Concessio.

Confessio.

Consensio.

Αντυπωφορὰ. *esse dico.* Antipophora, *oppositio, &* ἀντεισαγωγὴ *compensatio, quà nobis aduersariorũ dicta proponimus, vt illis respondeamus. Cic. difficilis ratio belli gerendi, ac plena fide, plena pietatis. Virg. Verùm anceps fuerat fortuna, fuisset. Quem timui moritura? Differt ab* Hypophora, *quòd hæc diuersæ partis intentio est, illa eius responsio.* Anasceue *est, qua ab aduersarijs proposita eleuamus, &, vt falsa reijcimus. Virgil. Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso Interpres Diuûm fert horrida iussa per auras. Terentius. At ego nesciebam quorsum tu ires: Paruula hinc est abrepta, educauit mater pro sua, &c. Eadem in tropis annumerata Mimesis dicitur.*

Υπωφορὰ.

Ανασκευη.

Figuræ ex similitudine.

Ex similitudine:

Comparatio. Comparatio, *quâ vel paria cum paribus, vel minora cum maioribus, vel maiora cum minoribus cõferuntur, idq́; magis ornandi, quàm argumentandi causa. Virg. O terq́; quaterq́; beati, Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis Contigit oppetere! Cic. Serui mehercle mei si me isto pacto metuerent, domum meam relinquendam putarem. Idem: Si quis me exire domo coëgisset armis, haberem actionem: si quis intrare prohibuisset, non haberem? Parenti non obtemperat, & audiet alienum? Videtur huc referri posse etiã ille amplificandi modus, qui* Ratiocinatio *dicitur, quâ res augetur coniectura ab aliquo signo sumpta. vt apud Ouid. xiij. Metamorp. quantus fuerit Polyphemus, ex eo intelligitur,*

Ratiocinatio.

gitur, quòd eius capilli non pectinibus, sed rastris pecterentur. Et apud Virg. 3. Æneid. Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat. Et: Graditurq; per æquor Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit. Ad comparationem pertinent, Exempla, παραδείγματα, quæ sint item aut paria, aut maiora, aut minora, & similia, aut dissimilia, aut contraria. Adhibentur autem vel hortandi causa: Vt illud Virg. Aut tenor potuit medijs elapsus Achiuis, Illyricos penetrare sinus: Vel deterrendi, velut: An non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor, Lædæq; Helenam Troianas vexit ad vrbes? Differt exemplum à similitudine, quòd exemplum facta commemorat, vel hominum, vel cæterorum animantium, vel etiam inanimorum, vt Delphini minores vagari incomitatos non sinunt: quid nos facere liberis adhuc teneris oportet? Vnaquæq; arbor alit, quod genuit: & non alet mater suo lacte liberos? Similitudo rem minùs cognitam per eam quæ notior est, demonstrat, hoc modo: Vt Sol vnus omnibus lucet: ita vox præceptoris omnibus discipulis vna sufficit. Et quemadmodum arbor excisa repullulat, euulsa verò non fruticatur: sic malũ si penitus tollas, non renascitur. Apologus est fabula, in qua muta animantia & inanimæ res humano more inducũtur loquentia: cuius exẽpla suppeditabit Æsopus. Parabola, seu collatio, est rerũ genere dissimilium cõparatio. Virg. Qualis mugitus, fugit cùm saucius

Exemplum

Exemplum a similitudine quid differat.

Similitudo.

Απολογος.

Παραβολη

aram Taurus, & incertam excussit ceruice securim. Imago, εἰκων. cùm formæ similes conferuntur. Virgil. Os humero sq; Deo similis. Et: Duo fulmina belli Scipiadæ. Vt mare ventorum vi agitatur & cõturbatur, sic populus. Huic adiiciendum est ὁμοιον, cùm vel ex partibus aliqua similitudo colligitur. Virg. Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Vel ex actione Cic. in Verrinis ait succinctam Scyllam lupis & canibus similem esse Verris & comitum illius. Dialogismus, qui dicitur a quibusdam sermocinatio, cùm quis secum disputat: & quid agendum sit, cogitat. Cic. Dẽmne iudicibus? mihi igitur ipsi præter periculum & infamiam quid quæritur? In Verr. Si populo redimitur, mihi præda de manib. eripitur. Quod est igitur remedium? quod? Dicitur quoque sermocinatio, cùm apta cuique personæ effingitur oratio: Tales sunt conciones apud Historicos, & orationes apud Poëtas. Vide libr. iij. Rhetoric. ad Herenn. de Sermocinatione. Ex genere, Sententia, γνωμη, est generale quoddam pronunciatum de moribus, aut de vita communi, quòd aut quid fiat, aut soleat, oporteátue fieri, vel expeti, vel vitari, breuiter, aptéq; non sigillatim, sed vniuersè demonstrat: vt Omnes sibi melius esse malunt, quàm alijs. Obsequium amicos, veritas odium parit. Amicus certus in re incerta cernitur. Epiphonema, acclamatio, est sententia, quæ rei narratæ iam aut probatæ additur, admirationis augendæ causa

Imago, εἰκων.

ὁμοιον Homœon.

Διαλογισμὸς Sermocinatio.

Ex loco generis. Sententia.

Επιφώνημα.

causa: Virg. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Et: Adeò à teneris assuescere multum est. Cic. Quorum igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Noema νοημα cogitatio, allusio est ad sententiam, cùm quæ non dicimus, intelligi tamen volumus: vt, Hortensius negabat se vnquam cum matre aut sorore rediisse in gratiam: intelligitur enim illi nunquam cum matre aut sorore incidisse dissidium. Sententia fiet sic: Malum est inter proximos dissidium. Ouidius. Fortisq; viri tulit arma disertus. Liu. 1. Deca. 4. Athenienses quidem, inquit, literis verbisq; bellum aduersus Philippum gerebant: falsè notans imbellem Græcorum loquacitatem. Sententia fiet hoc modo: Bellum armis, non verbis geritur. Ex signis & circunstantijs. Signa sunt antecedentia, consequentia vel adiuncta rei, quæ tum ad amplificandum, tum ad extenuandum adhibentur. Dido apud Virgiliũ Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? Num lachrymas victus dedit, aut miseratus amantẽ est? Ex circunstantijs nascitur ὑποτυπωσις seu demonstratio vel descriptio, quares ita verbis exprimitur, vt panè in conspectu posita geri videatur. Hæc describendi virtus, atq; sub oculos subiectio etiam ἐναργεια dicitur, Latinè euidentia, aut perspicuitas. Cicero. in Ver. Ipse inflammatus scelere & furore in forum venit: ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat, ex-

Noëma est personæ contuncta sententia.

Ex signis & circumstantijs, Signa.

Ὑποτύπωσις, Seu Demonstratio vel Descriptio.

Ἐναργεια.

pectabãt omnes quò tandẽ progressurus, aut quid acturus esset: cùm repentè hominem proripi, atq; in medio foro nudari ac deligari, & virgas expediri iubet. Et quæ sequuntur. Idem eleganter & perspicuè describit in Miloniana profectionis apparatum Milonis & Clodij, atq; illius in rheda sedentis penulati cum vxore: huius in equo & cum delectis villa egredientis, pugnantis è loco superiore, &c. Ouid. diluuiũ depingit in primo Metamorph. & tempestatem in secundo. Eras. naufragium. Adhibetur autem non amplificandi modò & illustrandi causa, verùm etiam ornandi & delectandi, atque affectus mouendi. Huc n. pertinent affectus; velut: Exclamationes; vt illud suprà etiam positum: O tempora, ô mores!

Affectus.

Exclamationes.

Execrationes. Execrationes. Cic. O scelus; ô portentũ in vltimas terras exportandum.

Obiurgationes. Obiurgationes. Virg. Non ego te vidi Damonis pessime caprum Excipere insidijs?

Obtestationes. Obtestationes, vel obsecrationes: vt per dextram istam tuam ego obtestor. Per ego has lachrymas.

Optationes. Optationes. Virgilius. Sic pater ipse Deũm faciat, sic altus Apollo, Incipias conferre manum.

Adhortationes. Adhortationes, vt, I bone, quò tua te virtus vocat, i pede fausto. Horat.

Ominationes. Ominationes. Virg. Turno tempus erit magno cùm optauerit emptum Intactum Palanta, & cùm spolia ista diemq; oderit. Terent. Videre videor iam illum diem, cùm hinc egens fugiet aliquò militatum. Ad hypotypoſin referuntur descriptiones personarum, rerum, locorum & temporum,

porum, quæ videntur omnes ex Dialecticorum per accidentia definitione oriri. Prosopographia, quâ persona vel vera, vel fabulosa describitur, ab attributis corporis & animi, quomodo Plutarch. & Cornelius nepos, & Suetonius vitam illustrium virorum descripserunt. Ad hanc referuntur insequentia tria, Characterismus, χαρακτερισμος, quo personæ corpus & mores effingimus, vt Chærea Terentianus senem illum importunum exprimit. Et Thrasonem, Demeam, Mitionem, alios q3 Terent. Furentem Sybillam Virg. lib. 6. Vide χρησηρισμον apud Rutilium. Ethopœia, ἠθοποιια propriè dicitur expressio morum & affectuũ mitiorũ, qui Græcè vocantur ἤθη, quales in comœdijs exhibentur. Pathopœia παθοποιια est, quâ vehementiores & grauiores exprimuntur affectus, quorum exempla facile cognoscuntur ex tragœdys. Vtiliter Emporius Rhetor de Ethopœia scribens, admonet oratione pro affectibus, ætatibus, fortuna, cæteris q3 qualitatibus esse variandam. Aliter enim, inquit orationem vel incipit, vel exequitur iratus, aliter timens, aliter gaudens, aliter tristis, aliter senex, aliter iuuenis, aliter vir, aliter fœmina. Refert in dicendo, Deus an homo sit; lasciuus an tetricus; ignauus an fortis; doctus an rusticus. Sit igitur alacris lætantis oratio, tumens vani, breuis & concisa properantis, meretriculæ mollis & blanda, matronæ seria, senum gravis, temeraria pueri, misera humilis, longa & mul-

Προσωπογραφια. Effictio,

χαρακτερισμος. Notatio.

ἠθοποιια.

Παθοποιια.

Decorum personarum.

ta ambiens consitentis, parasiti faceta, matrũ anxia, incondita rustici, oratoris ornata. Prosopopœia προσωποποιία, personæ effictio, Latinè dicitur conformatio, cùm rebus mutis sermonem tribuimus, aut vita defunctos tanquam vivos, aut absentes tanquam præsentes inducimus loquentes. Talis est Appij cæci persona à Cicerone in oratione pro Cælio inducta. Idem in Catilinã Patriam inducit loquentem. Prodicus, vt scribit Xenophon, Virtutem & Voluptatem contendentes facit: Penias & Pluti personas Aristophanes fingit: Iustitiæ Chrysippus: Philosophiæ Boëthius: Lamiæ Politianus: Stultitiæ Erasmus: aliq; rerum aliarum. In quibus fingendis multum sibi poëtæ permittunt. Rei descriptio est quâ res circumstantijs explicata, velut oculis subijcitur spectanda; vt si captam vrbem dixeris, omnia duobus complexus es verbis: id si aperias, apparebunt, vt Quinctilianus ait, effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor; & ex diuersis clamoribus vnus quidam sonus: aliorum fuga incerta; profanorum sacrorũmque direptio; efferentium prædas, repetentiumq; discursus, &c. Licet enim hæc complectatur euersio, minùs est tamen totum dicere, quàm omnia. Vide ipsum Quinctilianum libr. 8. cap. 3. Topographia, est vera atq; perspicua locorum descriptio; vt vrbis, portûs, arcis, templi, villæ, regionis, montis, fontis, horti, &c. velut Carthaginis, & portûs, apud Virgil. lib. 1. Æneid. In hac ver-

Προσωποποιία, Conformatio.

Rei descriptio.

Τοπογραφία.

versantur Cosmographia, & Geographia.

Topothesia, *est ficti loci descriptio, cùm locus aliquis ponitur qui nusquam est; vt inferorum, & Elysij descriptio, apud Virg. lib. 6. Et Caci spelunca, lib. 8. Regia Solis, apud Ouidium. lib. 2. Metamorphoseωs.* Τοποθεσία.

Chronographia, *temporis descriptio, quam suprà attigimus in Troporum explicatione sub periphrasi, quæ frequenter à poëtis ornandi & delectandi causa adhibetur, veluti cùm nox, dies, aurora, ver, æstas, aliaq; describuntur, vt lib. 4. Æneid. Nox erat, & placidũ carpebant fessa soporem Corpora per terras, &c. & lib. 1. Meta. quatuor ætates. Ad ordinem pertinent hæc:* Χρονογραφία, temporis descriptio.

Ordinis figuræ.

Transitio, μεταβασις, *qua monemus breuiter quid dictũ sit, & quid consequatur ostendimus. Cic. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Vir. Hactenus aruorum cultus, & sidera cœli, Nunc te, Bacche, canam.* Transitio.

Parenthesis *seu dyalysis, est ordinis, per interiectam aliquam declarandi causa sententiam, dissolutio. Ouid. Finem qui quæris amori? (Cedit amor rebus) res age, tutus eris. Incerta sententia, si eximatur, sermo nihilominus perfectus relinquetur.* Παρένθεσις. seu διάλυσις.

Digressio, παρεκβασις, *est alicuius rei, quæ tamen ad vtilitatem causæ pertineat, extra ordinem excurrens tractatio, quæ cùm delectationis tantùm causa adhibetur, vt & ornet orationem & augeat per quandam amplificationem, tum* Παρέκβασις. Digressio.

demum inter figuras ſententiarum collocari poteſt. Sed in hac tria ſunt vitanda; primùm, ne longa ſit a propoſito digreſſio, alterum, ne videatur aliena & peregrina, poſtremum, ne reditus ad rem durus orationem deformet. Plures fortaſſis orationis exornationes occurent; ſed quas hìc collegimus, ſatis eſſe ad intelligendas eloquẽtiũ ſcriptorũ virtutes arbitramur. Poſtremò admonendũ illud eſt, ne dum virtutes cõſectamur, in vitium incidamus affectatæ ſchematũ copiæ.

De Memoria.

Theſaurus omnium rerum memoria, Cic.

MEMORIA *rerum perceptarũ ſida cuſtos eſt, quam Fab. Quinct. eloquentiæ theſaurum appellat. Ea duplex eſt, naturalis & artificioſa: quæ ſunt ita coniunctæ, vt naturalis artem conſeruatricem requirat, & artificioſa naturæ poſcat opem. De naturali Phyſici docent, de artificioſa Rhetores. Memoria naturalis eſt vis animis inſita, quæ & facile res percipiat, & fideliter cõtineat. Artificioſa dicitur, quæ præceptis confirmatur; conſtátq; locis & imaginibus, tanquam chartis & litteris. Sed mihi quidem hæc ratio operoſior eſſe videtur, quàm vtilior: quòd non ſolùm in rebus & verbis ediſcendis laborandum ſit, verùm etiam in cognoſcendis atq; conſeruandis locis & imaginibus rerũ notis. Illud vtiliùs de memoria præcipitur, vt obſeruemus, quibꝰ rebus vel lædatur, vel iuuetur memoria. Morbi quidam cerebrum inuadentes certam memoriæ mortẽ adferunt. Officiunt quoq; frigus atq; humor.*

Naturalis memoria.

Artificioſa.

De iuuanda & conſeruanda memoria.

Memoriam quæ lædant.

nor. Siccitas autem & calor, vtrunq; moderatum prodest. Grauiter lædunt crapula, immoderatus potus atq; pastus, nimius somnus, cibus ad concoquendum difficilis, & liquidior ac iurulentus, pinguis, crudus: cæpe, raphanus, sinapi, caseus, nuces, &c. violẽta vina, inflatio, grauis ira, mœror, timor, atq; aliæ perturbationes. Iuuatur memoria gubernatione valetudinis, exercitatione moderata, & ordine. Bona corporis constitutio ac temperatio magnum est naturæ donum. Quib. est calida & moderata cerebri temperatio, facilè percipiunt, & fideliter continent: quibus frigida, perparum capere possunt: quibus humida, facile quidem comprehendunt, sed non diu retinent: cõtrà, quibus sicca, ægrè percipiunt, sed bene conseruant. Obliuiosi sunt senes, timidi, ebrij, ægroti, &c. Plurimum prodest abstinentia moderata, & victus ratio, & remissio quædam studiorum; ne sit continuus labor, ne sint intempestiua studia, ne sit animus occupatus curis, solicitudine, mœrore, timore, ira & cæteris, quæ modò dixi grauiter memoriam lædere. Vtilis est ante prandium vel cœnam moderata corporis exercitatio. Nihil æquè prodest atq; vsus & diligentia legendi, cogitandi & sæpè repetẽdi cogitata, lecta, audita, aliòue modo percepta. Atq; in hac sola exercitatione Fabius omne memoriæ artificium ponit. Et Cic. memoriã vult exerceri ediscendis ad verbũ quamplurimis & nostris scriptis & alienis. Sed in ediscendo adhibenda est mentis intentio, nec parcen-

Memoriam quæ iuuent.

Memoria maximè iuuatur natura, intelligentia, cura, exercitatione, & ordine.

Exercitatio memoriæ.

Ordo memoriã plurimum iuuat.

cendum labori. Quantum verò signatis animi sedibus, & ordine constituto iuuetur memoria, Simonides declarauit, qui subitò euocatus è triclinio, cùm reuersus, ruinâ oppressos interea conuiuas, atq; ita obtritos, vt internosci non potuerint, offendisset, ex ordine, quo quisque accubuisset, omnes agnouit. Ad ordinem diuisio pertinet. Plurimũ enim & illud memoriæ prodest, si longior oratio in partes tribuatur, earũq; ordo retineatur.

De Actione.

Actio, seu pronuntiatio. In Oratore.

ACTIO est apta orationis enuntiatio, & quasi corporis quædam eloquentia, vt eam Cic. vocat: quæ sono vocis, seu pronuntiationis, & corporis motu constat. Motus aũt in vultu & gestu moderandis cernitur. Omnia hæc præstat natura, sed auget diligentia. Efficiendum est, vt sit emendata pronuntiatio, vt dilucida, vt ornata, non fracta atq; effæminata, vt apta reb. quæ non vno & eodem tenore decurrat; sed quæ pro rerum ac personarum varietate & decoro, pro diuerso affectu, pro tempore & loco, vel intendatur, vel remittatur: quæ grandia grauiter, mediocria temperatè, summissa leniter, atrocia vehemẽter atq; acriter efferat. Hoc est quod præcipitur, vt vox animo respondeat, de quare traditum est ab Horatio in epistola de arte poëtica. Cauẽdus est omnis immoderatus gestus, incondita vociferatio, furiosa brachiorum iactatio. Fugienda quoq; inepta quorundam cantillatio, & fractæ vocis tremor. Denicq; vultus, & totus corporis gestus, honestus

Vocem commendant claritas firmitas & suauitas.

Vitiosa est μονοτονία, i. vnaquedam spiritus & soni intentio.

mestus sit, & modestus atq; aptus, & cum oratione congruens.

De Imitatione.

CVM *in omnibus artibus exempla valeant plurimùm, tũ in eloquentiæ laude paranda maximè necessaria mihi videtur* Imitatio, *quâ similes aliquorum esse in dicendo studemus. Duplex statui potest imitatio; vna rerum, quæ generalis est; altera styli atque dictionis, qua scribendi formam, quæ censetur optima, similitudinem expetit. Generalis obseruat inueniendi, collocandi, & eloquendi rationem, scriptorib. eloquentibus non Latinis solùm, verùm etiam Græcis vsitatam, à quibus discendum est: vnde sit exordiendum, quo modo narrandum, proponendum, diuidendum, quomodo omnia aptè sint explicãda, quando amplificandum, qua ratione tractandi loci communes, qua arte sint audientiũ animi vel excitandi, vel sedandi, nonnunquam irritandi, interdũ placandi, sæpè conciliandi, & in quemcunque motum impellendi; quâ prudentia disponendũ, quo dicendi genere quicq; sit explicandum, quis qua laude præstet maximè, non orator modò, sed quiuis etiam scriptor, cuius præcipuam illam sequamur virtutem. Altera imitationis non certos sibi diligit Oratores, quorum quò similior quisq; sit, hoc melior habeatur, atq; in dicendo perfectior. Quod attinet ad sermonis genus, neminem arbitror dubitare, quin optimi quiq;, vt in artib⁹ omnibus, ita in paranda Latinè scribendi facultate sint*

Imitatio generalis & specialis: illa rerum est & commmais omnium: hæc verborum & elocutionis.

Generalis imitatio.

Specialis Imitatio.

sint imitandi. Nec illud vnquam dubium fuit, vtile esse & necessarium imitationis studiũ, quòd hac via potissimum ad laudem perveniatur eloquentiæ. Prudentem nos intelligimus, non illam ridiculam quorundam & insulsam ac superstitiosam imitationem. Cùm igitur lingua Latina ex veteribus scriptoribus, tota sit petenda: non iam nobis, vt Romanis fuit olim, vernacula sit: nec eam nunc, vt alia quædã parare solemus, nostro, vt dicitur, Marte, possimus consequi: necesse nobis est, legendis eius linguæ authoribus purè & emendatè loquendi facultatem comparare. Verùm quando plures inter se dicendi genere dissimiles vna scribendi ratione referre nemo aptè potest: &, vt Seneca scribit, nusquam est, qui vbique est, facile id intelligitur, in exercendo stylo paucos esse proponẽdos, eosq; præstantissimos. Quid enim stultius, quàm ad imitandum non optima sibi proponere? inter optimos autem Ciceronem lectissimum esse fatentur omnes, tum ij, qui felicissima Ciceronis ætate floruerunt, quâ & lingua Latina, & admirabilis illa dicendi vis apud Romanos perfecta fuit, tum etiam posteri, quorum dictio nõnihil ab illo prisco sæculo recedens minùs candida visa est Latinè scientibus. Quare illud inter omnes constare iam videtur, auream illam Ciceronis ætatem esse omnibus purè & emendatè loquendi studiosis imitandam, quæ verba nobis verborumq; coniunctionem atq; orationem suppeditabit & puram,

ram,& planam,& ornatam,atq; aptam,omnisq; praua consectationis expertem, ac verè Latinã, quâ laudabiliter,quacunq; de re scribendum sit, vtamur. Omnium autem scriptorum vt optimũ & in omnibus eminentissimum Quinctilianus summo statuit loco M.T. Ciceronem,in quo multorum ac præstantium virtutes eminent: vis Demosthenis,copia Platonis,suauitas Isocratis, & quæcunque vllo in genere laus Oratoris vnquam fuit. Quem dicit omnium esse candidissimum,& ita apertum, vt amari possit; qui, cui valde placebit,multùm profeciſſe eum Fabius idem iudicat. Hunc igitur quo nemo in omni tractandi,dicendiq; genere plura scripsit eloquentiùs,nemo sermonis proprietate,nemo perspicuitate maiore,nemo ad communem vsum accõmodatiùs,legemus diligenter, & virtutes eius imitabimur: atq; vt ille fecit, animum honestis & necessarijs artibus variaq; rerum optimarũ cognitione,sine qua disertus haberi nemo possit, instruemus. Non laudabimus autem,nec amplectemur,si qui forte quasi næui in egregio corpore notabuntur: nec verò defendemus aut redundantiam, & repetitionum ac digressionum frequentiam,si quando minùs opportunæ videbuntur: aut iactationem,aut ostentationem: si nimium erit molesta: aut si quid aliud hominem fastidiosum,& Atticæ dictionis sectatorem videri cupientẽ possit offendere: qualia olim à Ciceronis æmulis & inimicis exagitata sunt odiosiùs,& ijs maximè,

Li.xij. ca. x. Cicero in omnibus quæ in quoquo laudantur eminentissimus.

Lib.ij.ca.v.

Lib. x.cap.j.

Næui cuiusmodi fortatis illud est in officijs. Neadulari nos sinamus, pro assentationib. decipi. Et de Inuent. li. misereatur,passiua significatione, punitus est, in actiua significatione, & si quid præterea curiosus lector obseruauerit.

ὑπερορθιζοντες, id est, ineptè Atticos imitantes.

maximè, qui se Græcorũ Atticorum veluti germanos venditantes, Ciceronem vt Asiaticum, & redundantem reprehendebant. Quòd si quid in illo desiderabitur, quod ad necessariam orationis quasi suppellectilem requiratur, id ab alijs, vt quisque Ciceroni simillimus, optimeq; Latinè locutus est, petere non verebimur. Quanquam vt ille non omnia quidem dixerit, nec omnia rerum vocabula suppeditauerit: quî enim vnus potuit? quomodo tamẽ omnia dicì possint, facilè reperiet is, qui legendis Ciceronis libris operæ multum studijq; consumpserit, & ex his aptam orationis structuram atq; æquabilem, certumq; dicendi genus, & incorruptæ Latini sermonis integritati consentaneum, imitatione diligenti fuerit consecutus.

Inter optimos præcipue Cicero imitandus.

FINIS.